BIBLIOTECA CENTR.
FIRENZE

COLLEZIONE PISTOIESE
ROSSI-CASSIGOLI

620

BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

4467

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

COLLEZIONE PISTOIESE

RACCOLTA DAL

CAV. FILIPPO ROSSI-CASSIGOLI

nato a Pistoia il 23 Agosto 1835
morto a Pistoia il 18 Maggio 1890

Pergamene - Autografi - Manoscritti - Libri a stampa - Opuscoli - Incisioni - Disegni - Opere musicali - Facsimile d'iscrizioni - Editti - Manifesti - Proclami - Avvisi e Periodici.

21 Dicembre 1891

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
NICOLAI PAPAE IV.
ORDINIS S. FRANCISCI
A HIERONYMO RVBEO

Compoſita, nunc primum ex MS. Vaticano edita, adnotationibus, noviſque acceſſionibus illuſtrata

A P. M. ANTONIO
FELICE MATTHAEJO
EIVSDEM ORDINIS ALVMNO
IN IMPERIALI PISANO LYCEO

Sacrae Theologiae publico Profeſſore, Academiarum Etruſcae Cortonenſis, & Lucenſis Hiſtoriae Eccleſiaſticae Socio.

ACCEDIT MONVMENTORVM APPENDIX.

PISIS A. D. MDCCLXI.

IOH. PAVLVS GIOVANNELLIVS CVM SOCIIS
TYPOGRAPHVS ALMAE PISANAE ACADEMIAE
EXCVDEBAT PRAESIDIBVS ADPROBANTIBVS.

Digitized by Google

EMINENTISS.^MO, ATQVE REV.^MO DOMINO

FRATRI LAVRENTIO GANGANELLIO

S. R. E. CARDINALI.

F. Antonivs Felix Matthaejvs F. P.

ACademicis occupationibus, atque muneribus, vel omnino, vel ſaltem magna ex parte, per hos menſes liberatus, retuli me, PRINCEPS EMI-

Digitized by Google

NENTISSIME, Te jubente maximè, ad ea ſtudia, quae retenta animo, remiſſa temporibus, longo intervallo intermiſsa, revocavi: ad ſtudia nimirum egregiorum Nicolai IV. Pontificis Optimi Maximi facinorum, quò illius Vitam a Hieronymo Rubeo patria Ravennate compoſitam variis annotationibus, acceſſionibusque meis illuſtrare poſsem. Tametsì plura eſsent, quae me impediebant, quominus opus jam incoeptum perficerem, nihilominus, iis devictis, tandem aliquando perfeci; cumque publicare illud conſtituerim, in vulgus prodire nullo pacto tuli, niſi Nomine Tuo, quod gloria, & dignitate ple-

niſſi-

niſſimum eſt, inſignitum, ornatumque. Neque eo dumtaxat Tibi nuncupatum volui, quò Litteratorum ferè omnium laudabile ſequar exemplum, apud quos eſt in more poſitum, ac inſtituto, quoſcumque libros evulgant, illos inſcribere hominibus genere, doctrina, & honoribus clariſſimis, qui auſpiciorum ſuorum felicitate fortunent, auctoritate ab invidis tueantur, ſanguinis ſplendore, ac nobiliſſimis, quibus funguntur, officiis eoſdem honeſtent, atque decorent; ſed imprimis, quod haec Hiſtoria res a Viro aeterna memoria digniſſimo preclarè geſtas contineat, non ſolum patria, & ſocietate

Tibi conjuncto, verum iis etiam ornato virtutibus, quae in Te, Cardinalis Ampliſſime, non minus, quam Sacra Purpura fulgent. Hic nanque vel ante Pontificiam dignitatem obtentam, prudentiam, dexteritatem, diligentiamque ſummam oſtendit in difficillimis negotiis agendis, praeſertim pro Eccleſia Romana, quibus egregie geſtis, cum de hac optime meritus evaſiſſet, a Nicolao III. in Presbyterum Cardinalem electus eſt: in id ſummopere ſtuduit, ut Ordo Fratrum Minorum, in quo ipſe ab adoleſcentia totum ſe Deo conſecraverat, augeretur, pluſque in dies ſplen-

deſceret: multùm tandem litteras, bonaſque artes amavit, quas etiam impensè coluit. Jam vero haec omnia in Te ita haerent, ut nihil magis. Is enim Tu es, qui multis ab hinc annis in eorum numerum, qui Romanae Inquiſitionis Conſultationibus laborant, adſcitus, aliiſque muneribus pro Sede Apoſtolica identidem oneratus, tanta prudentia, conſilio, doctrina, ac integritate partes Tibi commiſsas explevisti, ut in eam apud omnes exiſtimationem veneris, qua permotus Clemens XIII., quo nemo ſane in hominibus dijudicandis perſpicacior fuit, in ampliſſimum Patrum Purpurato-

rum Senatum maxima totius Chriſtiani Orbis gratulatione cooptavit; cum ut merita tua in Eccleſiam rependeret, tum ut majora erga ipſam officia praeſtes, quemadmodum magno illius bono facis, ac utinam diù facere pergas. Is Tu, qui ingenti benevolentia Ordinem noſtrum ſemper complexus es, ſummaque deſiderio flagraſti, ut idem celebrior fieret. Teſtes hac de re locupletiſsimi ſunt Mediolanenſe, Bononienſe Gymnaſia inclyta, Romanum tandem omnium celebratiſſimum, quae propriis oculis inſpexerunt quanta cura, & vigilantia tot Religioſos Juvenes Tibi in

bi in cuſtodiam traditos ad pietatem, ac litterarum ſtudia hortatus fueris, excitaveris, impuleris; eo animo, ut ij optimis moribus, ſcientiis, boniſque artibus inſtructi ſodalitatis noſtrae gloriam, atque ſplendorem amplificarent. Cetera beneficia, & quidem magna, a Te in Ordinem noſtrum collata libenter omitto, ne in longum nimis mea protrahatur oratio. Quantum vero Ipſe ab ineunte aetate ad haec uſque tempora ad ſcientias adipiſcendas incubueris, quantumve in iis profeceris nec leviter perſtringam; etenim quae ex dignitate celebrari non poſſunt, ſatius cenſeo tacitus

citus praeterire. Hoc unum aſſeram, tanta aſſiduitate Te iis navaſſe operam, inque iis ita profeciſſe, ut a Viro litteratiſſimo (1) doctrina magis, quam Vaticana Purpura clarus *jure optimo praediceris. Quae cum ita ſint opus hoc meum Tibi, ut vides, debebatur. Itaque Te oro, obteſtorque, ut hujuſmodi monumentum obſervantiae in Te meae, benigno, laetoque vultu ſuſcipias; quod ſanè ſpero, quotieſcumque mecum ipſe cogito de comiti, quo polles, animo, ac liberali, ſed & ingenuo praeterea, & nobili. Sacram*

Pur-

(1) Is eſt doctiſſimus Laurentius Bertius *T. II. Breviarii Hiſt. Eccleſ. Sec.* 18. *cap.* 4. *pag.* 340. *ed. Piſanae.*

Purpuram Tuam venerabundus exoſculor, Deumque Optimum Maximum enixe rogo, ut quamdiutiſſime Te ſervet incolumem ad Chriſtianae Reipublicae utilitatem, ad Ordinis noſtri, & bonarum artium praeſidium, atque ornamentum.

Piſis XV. Kal. Sextilis A. R. S. MDCCLXI.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

VIta Nicolai IV. ad Summum Pontificatum evecti, non quidem ex Fratrum Praedicatorum familia, uti falsò ſcribit Dupinus (1), ſed ex Franciſcanorum ſocietate, quos modò Conventuales (2) communiter dicunt; a nobis in lucem edita Hieronymum Rubeum habet auctorem. Ortus hic eſt (nam de Hieronymo plura me loqui, cum pauciſſimis meminerint verbis Poſſevinus (3), Miraeus (4), Paſolinus (5), Geſnerus (6), Gaddius

(1) *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccleſ. T. X. chap. 3. pag. 57. ed.* 1700., et *Hiſtoire de l' Egliſe en Abregè T. III. ſec. 13. n. 1. pag. 299. ed.* 1726.

(2) Cur Nicolaum de hoc Ordine dixerim, declaravi *in Append. huius Hiſt. pag.* 195..

(3) *T. II. Biblioth. Selectae lib. 16. cap. 46. pag.* 391. et *in Apparatu Sacro T. II. pag.* 35.

(4) *De Scrip. ſec. XVI. pag. 190. in Biblioth. Fabriciana ed.* 1718.

(5) *Huomini Illuſtri di Ravenna lib. 4. cap. 1. pag.* 89.

(6) *In Bibliotheca pag. 350. ed. Tigur.* 1583.

dius(1), Konigius(2), Vanderlinden(3), Burmannus (4), Cinellius (5), Morerius (6), aliique multi Hiſtorici, qui ſermonem de ipſo fecerunt, nec Lectoribus injucundum, nec a meo inſtituto alienum fore cenſeo) Ravennae nobiliſſima, vetuſtiſſimaque Flaminiae Urbe, Patre Franciſco Rubeo, Matre Iſabella Logovichia utriſque genere (7), pieta-

(1) *De SS. non Eccleſ. T. II. pag.* 308.

(2) *Bibliotheca Veteri, et Nova pag.* 705. *ed. Altdorfienſis*.

(3) *De Script. Medicis lib.* 1. *pag.* 430. *et ſeq. ed.* Norimber. 1686.

(4) *In Praefat. ad novam editionem Hiſt. Ravenn. T. VII. par.* 1. *Theſ. Antiq., et Hiſt. Italiae*.

(5) *Bibliotheca Volante T. IV. pag.* 179. *ed.* 1747.

(6) *Magno Diction. Hiſt.* ad. v. *Rubeus*.

(7) Hieronymus *in Praefat. ad. Hiſt. Ravenn.* his verbis alloquitur Urbem Ravennam, ex quibus liquet eius avos ſaltem paternos clariſſimos fuiſſe: *cum gentiles mei Parma, ſedibuſque pulſi* (ab Othobono III. tyranno, ut idem ipſe Hieronymus ait *lib.* 7. *Hiſt. cit. ad annum* 1403. *pag.* 599. *ed. Guerreae*) *ſuis, ubi latè dominatos fuiſſe Annales, ac Hiſtoriae, ipſaque tandem publica, nedum privata monumenta teſtantur, omnibus fortunis ſpoliati incertis vagarentur ſedibus, fecit tua benignitas, ut ipſi vehementes, et deſperatos aerumnarum, inſidiarumque impetus fortiter ferrent: quodque Ferraria, quò ſe primum contulere, aut non potuit, aut minus tueri coacta penè fuit; Argenta autem, quae illos excepit Ferraria profectos, certè non potuit; tu, patria, ſumma caritate,* magni-

pietateque clariſſimis anno 1539., ac idibus Julii ſacrum accepit baptiſmum. Cum animo uti coepiſſet, ut qui a Deo ingenium docile, come, aptum ad artes optimas habuerat, ad eas ſedulò incubuit, quibus puerilis aetas informari ſolet. Quantum in iis profecerit, ſatis ipſe oſtendit quindecim annis natus jucunda, et ornata Oratione, qua in Eccleſia Metropolitana ſummis extulit laudibus Cardinalem Rainutium Farneſium Ravennam primò accedentem, ut in illius Urbis Archiepiſcopatus poſſeſſionem veniret; ac ingentem laetitiam, qua ob ejus adventum Cives perfundebantur, magis palam fecit. Hieronymus magnam eo facto iniit gratiam apud Rainutium, qui iccirco eum peramanter excepit, ad aſſiduam litteris navandam operam hortatus eſt, in Farneſiorum familiaribus, atque clientibus numeravit, ac inter

ter

magnificaque liberalitate ſuſcepiſti. Nam et majores meos complexa es, et cum pari quidem animi magnitudine, ſed de vetere potentia, claritudineque dejecti, longe diſpari dignitatis conditione, anguſta admodum re familiari viverent, eos tu juviſti, et ornaſti. Confer etiam Vincentium Carrarium *Storia de i Roſſi di Parma edita Ravennae typis Franciſci Tebaldini anno* 1583., et Joannem Marium Creſcimbenium *Vol. V. dell' Iſtoria della Volgar Poeſia lib. 5. Claſſe 2. num. 244. pag. 249. edit. 1730.*

ter Collegij *Ancarani* Bononienſis alumnos retulit. Teſtatur (1) haec omnia Auctor noſter ſequentibus verbis: „Hieronymus Rubeus, qui hanc ſcripſit Hiſtoriam annum „ natum quintum decimum, quod eius praecox ingenium aliqui non omninò deſpicerent, Civium ſuorum ingentem laetiam latina oratione teſtatam fecit, et „ Rainutii virtutes tum proprias, tum a „ majoribus deductas aliqua ex parte numeravit. Rainutius adoleſcentis amplexatus ſtudium, eiuſque apprehenſa manu, familiari illum Epiſcopo tunc tradidit, qui aditum ad ſe adoleſcenti pararet, aliquandoque adduceret. Quod „ cum poſtridiè eius diei eſſet factum, et „ Farneſius amanter, ac planè paternè adoleſcentem alloquutus, ad perſequenda „ litterarum ſtudia eſſet hortatus, tum verò illud Franciſco Franchinio viro doctiſſimo, ſed candido praeſertim Poetae „ ſibi a ſecretis injunxit, ut Rubeum curaret in Farneſiorum familiaribus, ac clientibus numerandum, illique in Ancarano Collegio Bononiae locum tribui.„

Florebat eo tempore Romae in PP. Carmelitarum Ordine Joannes Baptiſta Hierony-

(1) *Opere citato libro 9. ad an.* 1554. *pag.* 720.

ronymi patruus, de quo nos in adnotationibus breviter loquuti ſumus, qui Fratris ſui Filium ſecum eſſe peroptans, is non Bononiam ſed Romam ſe contulit (1); ubi in Athaeneo, quod *Sapientiam* vocant, praeceptoribus viris clariſſimis *Epiſcopo Jacobello*, et *Franciſco de Sempronio* magis in humanitate, et politioribus litteris, ad quas potiſſimum factus videbatur, profecit, et Philoſophiam didicit. Anno 1560. in patriam remeavit, et ad S. Sebaſtiani publicam habuit litterariam concertationem, ob quam eius nominis celebritas, et exiſtimatio multum aucta eſt.

Patavium deinde migravit, qua in Urbe anno 1561. pridie calendas Apriles Philoſophiae, ac Medicinae inſignia, decoraque obtinuit (2). Rediit paullo poſt ad proprios lares, tuncque animo verſare coepit patrias Hiſtorias componere, ſed cum patruus ejus anno 1562. in Vicarium Ordinis ſui Generalem electus, viſitare cupiens Venetae ditionis Coenobia, Hieronymum ſocium ſibi in itinere adjunxiſſet, tum ut

b in di-

(1) Idem ipſe Hieronymus *loco indic.* „ quod „ efficere poſtea Rubeus ab Joanne Baptiſta patruo „ Romam vocatus, non potuit „.

(2) Conſule Carrarium *op. cit. ad hunc ann.*, et Creſcimbenium *loco cit.*

in diſputando ſe exerceret, tum ut in ſcribendis epiſtolis ipſi adiumento foret; propria cogitata executioni mandare is nequivit. Adoleſcens noſter in iis officiis ita ſe patruo ſuo prudentia, fide, integritate, ſcientia probavit, ut ab eodem poſt biennium ad *Prioris* Generalis dignitatem evecto, Romam iterum vocatus fuerit. Per integrum annum, quo fuit in magna illa, non dicam multorum hominum, ſed omnium ferè nationum luce, qua Urbs Roma fulget, ſemperque fulſit, antiquae eruditionis ſtudium ſuſcepit, ſeu potius revocavit; ex refertiſſimis illius Bibliothecis plura collegit monumenta, et partem etiam Hiſtoriarum Ravennatum compoſuit, apud Aedem D. Martini in amoenitate, et ſolitudine, quae certè ibi eſt non injucunda, moram trahens (1).

Nullus interea ſupererat Hieronymo germanus frater; quocirca anno aetatis ſuae 28., patre imprimis flagitante, duxit in matrimonium Lauram ex Joanne Baptiſta Biſſulcio Ravennate ortam, quae cum patritii generis ſplendore inſignes copulaverat virtutes: fuit enim *magno in rei domeſticae adminiſtrationi ingenio*, *ſed majori in Deum pietate*, quemadmodum ſcribit Hieronymus dignus

(1) Lege Hieronymum *op. cit. l.* 2. *pag.* 60. *ed. cit.*

dignus tanta uxore maritus (1). Nobiliſſimis, piiſque conjugibus quinque nati ſunt filii, nimirum Antonius Maria, Bartholomaeus, Franciſcus, Joannes Baptiſta, et Andreas; primus, quem

abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo (2)

patre nondum defuncto, inter principes Romae artem medicam ſuis temporibus profitentes referri meruit (3); ſecundus Deo inter PP. Camaldulenſes ſe devovit nomine *Sergii*, in quibus pie, ſanctèque vixit; tertius in Canonicis patriae Eccleſiae Cathedralis numeratus eſt; alii duo nulli, quod ſciam, peculiari coetui nomen dederunt ſuum.

Extrema impoſita manu anno 1571. Hiſtoriis Ravennatibus, has tertio idus Februarii Senatui obtulit, qui ut ſibi gratas eſſe demonſtraret publicis impenſis in lucem emitti juſſit Venetiis, quo Hieronymus profectus eſt ad curandum, ne Typographorum negligentia erroribus foedarentur. In vulgus prodiere anno ſequenti,

(1) In memoriis ab ipſo ſcriptis ad annum 1605., quo 7. calend. Novembris Laura obiit. Servantur apud nobiliſſimum virum Antonium Rubeum Hieronymi noſtri nepotem.

(2) Virgilius *Aeneid.* 6. v. 429.

(3) Adi Mandoſium *Theat. Medic. Pontif. pag.* 93.

ti, Julio Feltrio Ruvereo Cardinali, Sabinenſi Epiſcopo, et Archiepiſcopo Ravennati nuncupatae, eaſque tanto plauſu excepit tum Senatus, tum alii Cives, ut ille earum Auctori per duos annos centum nummos aureos aſſignaverit, officium Medici publici exhibuerit, totam ipſius familiam abſolverit a vectigalibus, et Urbis Conſiliarium conſtituerit, Patre adhuc in vivis exſtante, atque idem munus gerente, etſi a patriis legibus cautum id eſſet. Nec Ravennae tantum illius nomen celebre evaſit ob memoratum opus, ſed etiam apud alias Urbes, viroſque Principes, qui inſuper ad varia obeunda munera eum invitarunt. Civitates Urbini, Piſauri, Fani, et aliae in id magnopere ſtuduerunt, ut ad Cives ſuos medendos accederet. Cardinalis Bevilaqua illum vocavit Ferrariam ad publicè artem medicam docendam annuo ſtipendio 800. numorum aureorum. Ob eundem finem, eodem conſtituto ſtipendio Cardinalis Alciatus eum Romam invitavit. Joannes Baptiſta Volta, qui Bononiae Legati Apoſtolicae Sedis vices gerebat Hieronymo Cathedram exhibuit in laudatae Urbis Lyceo primum 800., deinde 1000. numorum aureorum annuo ſtipendio; verum dulcem patriam linquere nunquam voluit, quae ipſi

plura

plura contulerat beneficia, res difficiliores eius fidei commendare, et ad multos viros Principes Legatum mittere conſueverat.

Inter Legationes tamen Rubeo commiſſas omnibus celebrior, illique honorificentior ea eſt, quam anno 1604. habuit ad Summum Pontificem Clementem VIII.; in hac enim et ingens ſtudium oſtendit impetrandi, quod nomine Patriae deprecabatur, et Pontifex Maximus ſumma Clementia, atque amore eum recepit: immo Archiatrum ſuum inſtituit; quod munus primò recuſavit, nolens Ravennam deſerere, ſed tandem ob ſollicitas Petri Cardinalis Aldobrandini Archiepiſcopi Ravennatis Clementis fratris filii exhortationes, illud admiſit, ac decimo calendas Januarias Pontificis medendi curam ſuſcepit. Brevem in Urbe moram traxit; nam cum ipſius crura, coxaeque intumuiſſent, timens ne morbus magis ingraveſceret, atque funeſtos effectus produceret, optimum duxit idem munus dimittere, et in patriam reverti, quam verſus iter facere coepit decimo calendas Majas anno 1605.

Reliquum eſt, ut de illius morte dicamus, quod paucis abſolvemus. Anno 1607. febri acuta correptus eſt, quae cum dyſenteria conjuncta ad extrema paullatim

eum deducebat. Ut primum hoc ſenſit Hieronymus ad ſupremum illud certamen rebus divinis ſe comparavit, ac decimo calendas Majas incredibili virtute, et conſtantia deceſſit annis natus ſexaginta ſeptem, menſibus novem, ſexque circiter diebus, praeſentibus Cardinalibus Cajetano Ravennae Legato, et Aldobrandino, cuius paullo ante meminimus. Sepultus eſt in Templo S. Joannis Baptiſtae ingenti totius Civitatis luctu, quae acerbiſſimè tulit princeps patriae ornamentum è vivis praereptum ſibi fuiſſe.

Talis vir fuit Hieronymus, ut non ſolum cum probatiſſimis illius aetatis, ſed antiquis etiam comparari potuerit. Doctus, affabilis, modeſtus, integer, prudens, religioſus, et a cupiditate omni remotiſſimus; quae animi dotes auctoritatem, exiſtimationem, gratiam, ac benevolentiam ipſi conciliarunt tum apud Concives ſuos, tum apud extraneos, Archiepiſcopos ſcilicet, Legatos, Prolegatos, et Praeſides Ravennae, omniſque Flaminiae; apud Cardinales Baronium (1), Paleotum, Salviatum, Franciſcum Mocenicum, Hieronymum Ruvereum Tau-

(1) Doctiſſimus Baronius *in Adnot. ad Martyrolog. Roman. ad diem* 28. *Aprilis* vocat Rubeum noſtrum virum pereruditum, et amicum ſuum.

Taurinenſem hunc, illum Nicoſienſem Archiepiſcopum, Joannem Grimanium Patriarcham Aquilejenſem, Horatium Tuſcanellam, Carolum Sigonium, Brunorum Zampeſchium Foro-Pompilii Dominum, alioſque multos viros ſcientia, ac dignitate clariſſimos.

Laudant exquiſitiſſimis verbis Hieronymum noſtrum ob doctrinam non modo Scriptores huius praefationis initio memorati, ſed etiam plures alii (1), ac imprimis, ut de recentioribus loquar, Bacchinius (2), Auctor Diarii Litteratorum Italiae (3), et Creſcimbenius (4); primus enim de Hieronymi Hiſtoriis Ravennatibus loquens, ſic ait: *fecit id ille ſanè ſumma latini ſermonis puritate, eoque accurato ſcribendi genere, quo Livii gloriae aemulus audit*; ceteri verò duo eum appellant Medicum inſignem, egregium Oratorem, celebrem Hiſtoricum, atque Poetam, maximè verſibus latinis: quod ut ve-

 riſſimè

(1) Multorum Poetarum carmina in laudem Hieronymi noſtri ſunt initio Hiſtoriarum Ravennatum juxta novam editionem; juxta editionem verò anni 1589. ſunt ad calcem earundem Hiſtoriarum.

(2) *In Praefat. ad Lib. Pontifical. Agnelli Ravennatis pag.* 9. apud Muratorium *T. II. par.* 1. *Script. Rerum Ital.*

(3) *Loco cit.*

(4) *Loco indic.*

riſſimè dictum eſſe magis appareat, en catalogus librorum, quos poſterorum memoriae is commendavit.

I. Oratio in adventu Rainutii Farneſii Cardinalis S. Angeli Archiepiſcopi Ravennae, habita in Templo Urſiano anno 1554. De hac Oratione, quam Rubeus compoſuit quindecim annis natus, ut alibi dictum eſt, ipſe mentionem facit in Hiſtoriis Ravennatibus. (1)

II. Oratio ad Cardinalem Alexandrum Sfortiam Romandiolae Legatum habita nonis Maji 1570. Teſtis eſt Rubeus ſe hanc ſcripſiſſe Orationem tum in memoriis MSS. alias laudatis, tum in altera Oratione ad eundem Cardinalem, de qua paullo poſt ſermo nobis erit.

III. Oratio lingua italica habita dum 84. Senatoribus Ravennatibus Hiſtoriam patriam jam editam obtulit. De hac in memoriis indicatis.

IV. Oratio de Gregorio XIII. P. O. M. nuper creato ad Cives Ravennates, Illuſtriſſimo, atque Ampliſſimo Cardinali Urbinati dicata. 4. Caeſenae excudebat Bartholomaeus Ranerius 1572.

V. Oratio ad Alexandrum Cardinalem Sfortiam Legatum Ampliſſimum habita Raven-

(1) *Lib. 9. ad ann. 1554. pag. 720. ed. cit.*

vennae in Aede Urſiana. 8. idus Novembris. Exſtat ad calcem Opuſculi, cui titulus: *entrata dell' Illuſ., et Reverendiſ. Signore Cardinale Sforza Legato in Ravenna alli 6. Novembre* 1580. *ſcritta dal Cav. Pomponio Spreti* 4. *Ravenna per Andrea Miſerocco* 1580.

VI. Oratio ad Guidum Ferrerium Cardinalem Vercellenſem habita in Aede Urſiana menſe Novembri 1581. Ita Rubeus in ſuis memoriis alias citatis ad eum annum.

VII. Oratio ad Julium Cardinalem Cananum Legatum habita in Aede Urſiana decimo ſexto cal. Julii 1585., ut ex memoriis laudatis colligitur.

VIII. Oratio in Exequiis Petri Donati Caeſii S. R. E. Cardinalis habita Ravennae in Aede Boni Jeſu tertio idus Octobris S. P. Q. R. juſſu; et in lucem edita 1586. 4. Ravennae apud Franciſcum Thebaldinum. Huius Orationis meminit ipſe Rubeus in memoratis Hiſtoriis (1).

IX. Oratio ad Franciſcum Cardinalem Sfortiam Legatum habita in Templo Urſiano poſtridie nonas Aprilis 1591. Ravennae apud Petrum, et Camillum de Joannellis 1592. 4.

X. Gratulatio ad Clementem VIII. P. M. poſt

(1) *Lib.* 11. *ad ann.* 1586. *pag.* 796.

M. poſt recuperatam Ferrariam. Exſtat MS. in Bibliotheca Sanċti Vitalis Ravennae, et incipit: *Gratulatur adventus Sanctitatis Tuae &c.*

XI. Diſcorſo conſolatorio nelle avverſità alla Magnifica, e Reverenda Donna Felice Raſpona degniſſima Badeſſa nel Sacro Monaſtero di S. Andrea di Ravenna. Peſaro per Girolamo Concordia 1572. in 4.

XII. Canzone per la vittoria ottenuta in mare contro i Turchi. Rubeus ita ſcribit de huiuſmodi Cantione (1): *fuit impraeſſa mea Cantio vulgari ſermone in victoriam è Turcis navalem, et data Pontifici, et Julio Feltrio Cardinali Urbini ipſo illam aſſiduè flagitante a Patruo meo.* In monumentis ad nos miſſis publicata dicitur Ravennae anno 1572. in 4. Sed aliter ſentit Auċtor Diarii Litteratorum Italiae, cujus haec ſunt verba: *ella fu ſtampata in quarto ſenza eſpreſſione di luogo, tempo, o Stampatore. Si vede però dal frontiſpizio eſſere ella impreſſa in Venezia appreſſo i Fratelli Guerra, e dalla ſottoſcritta della dedicazione, che ne fà un Franceſco T. a Bartolomeo dal Monte, come anche dal ſoggetto di eſſa Canzone ſi raccoglie, che la ſtampa ne ſeguì nel 1571. Lo ſtile di queſta Canzone è aſſai gra-*

(1) *In memoriis alias laud. ad ann.* 1572.

grave, e conveniente alla dignità dell' argomento (1).

XIII. Ravenna Pacificata, *Poemetto* al virtuoſo, e nobile M. Pomponio Spreti. Nella ſteſſa pace di Ravenna, *Canzone* (2). Nella venuta di Monſignore *Ceſis* Veſcovo di Narni a Ravenna, *Stanze*. Venezia 1566. in 8. Joannes Marius Creſcimbenius (3) praeter eiuſmodi carmina tribuit etiam Hieronymo noſtro *vari Sonetti ſparſi per le Raccolte di quei tempi; e ſpecialmente in quella fatta da Ceſare Bezzi per la morte di Chriſtina Racchi Lunardi Ravignana, e impreſſa in Ravenna* 1578. Memoratum Poema una cum laudatis carminibus Italicis, aliiſque Latinis eiusdem Hieronymi ſtudio Jacobi Rubei Auctoris nepotis excuſum denuò fuit Ravennae anno 1713. (4). Plura item ex Hieronymi carminibus ſunt in Opuſculo, cui titulus: *Rime ſcelte de' Poeti Ravennati antichi, e moderni defunti. Ravenna* 1739. in 8. *pagina* 43., *e ſeg.*

XIV. Trat-

(1) *T. cit. pag.* 433.

(2) Paſolinus *loco cit.* inquit: Rubeus *diede alle ſtampe un' Operetta in verſi del Sacco dato da Franceſi alla Città di Ravenna*. His verbis Paſolinum ſignificare voluiſſe laudatum Poematium, et hanc Cantionem puto.

(3) *Loco indic.*

(4) Conſule *Diarium Litterat. Italiae T. cit. p.* 432.

XIV. Trattato dell' Amicizia. Loquitur de hujuſmodi Tractatu Brunorus Zampeſchius in Dialogo inſcripto *l' Innamorato*. Bologna per Giovanni de' Roſſi in 4.

XV. De ratione ſtudendi Philoſophiae Liber menſe Octobri anno 1565. confectus. Ex memoriis laudatis.

XVI. De probitate, et improbitate, ſcientia, et ignorantia, felicitate, et infelicitate Medicorum Dialogus Julio Ruvereo Urbinatium Cardinali, Ravennatique Archiepiſcopo dicatus. Cum a Rubeo ipſo (1), tum a Vincentio Carrario (2) mentio fit de huiuſmodi Dialogo.

XVII. De quantitate, et qualitate Elementorum Tractatus ad Philippum Mocenicum Cypri Archiepiſcopum. Ita in memoriis MSS. ad annum 1569.

XVIII. De Ventis Tractatus. Laudatur in memoriis citatis ad annum 1582.

XIX. Rerum Naturalium Liber primus capitibus 21. conſtans: incipit: *Quum phyſici naturalis negotium &c.* Exſtat in Bibliotheca Vaticana codice 5361.

XX. Adverſus Raymundum Lullum de mixtorum graduatione Liber: incipit: *Raymun-*

(1) *Hiſtor. cit. lib. 9. pag. 708.*
(2) *In Praefat. ad Tract. de Medico, et illius erga Aegrotos officio.*

mundus Lullus &c. ſervatur in eadem Bibliotheca.

XXI. Quaeſtiones nonnullae Medico-Philoſophicae, quibus ſuas adjecit reſponſiones. Sunt ad calcem memoriarum, quas alias laudavimus.

XXII. De Deſtillatione Liber, in quo ſtillatitiorum liquorum, qui ad Medicinam faciunt methodus, ac vires explicantur, et Chemicae artis veritas ratione, et experimento comprobatur. Ravennae ex Typographia Franciſci Thebaldini 1582. 4., Baſileae apud Sebaſtianum Henric. Petri 1585., Venetiis apud Joannem Baptiſtam Ciottum 1599 (1).

XXIII. Ad Cornelium Celſum in Libros 8. annotationes, quibus omnia, quae ad univerſam Medicinam ſpectant dilucidè, et compendiosè explicantur. In lucem emitti curavit Franciſcus Hieronymi noſtri Filius Venetiis apud Joannem Baptiſtam Bertonum 1607. 4. (2). Editae pariter ſunt Venetiis apud Franciſcum Rampazeni 1514., et apud Joannem Guerilium 1616.

XXIV. De

(1) Vanderlinden *op. ſupra cit.* ſcribit, memoratum librum anno etiam 1604. in 4. divulgatum fuiſſe, ſed quo in loco non dicit.

(2) Paſolinus primam huius operis editionem factam ponit anno 1606., ſed tunc fortaſſis incoepta eſt.

XXIV. De Melonibus (1) Diſputatio ad Illuſtriſſimum, et Reverendiſſimum D. Petrum Aldobrandinum &c. Venetiis apud Joannem Baptiſtam Bertonum 1607. 4. Extat etiam *in Centuriis de quaeſitis per epiſtolam Vincentii Alzarii Crucii fol. Venetiis apud Santes 1622. Cent. 2. pag.* 105.

XXV. Epiſtola ad Sebaſtianum Joſium de Melonibus. Publicata eſt cum Diſputatione de Melonibus.

XXVI. Hiſtoriarum Ravennatum Libri decem. Venetiis typis Aldi 1572. in fol. Quaedam huius editionis exemplaria ita inſcribuntur: *Hiſtoriarum Hieronymi Ravennatis Libri decem Gothorum, atque Longobardorum res geſtas, variamque multarum Provinciarum, et diverſorum eventuum, Ravennatem praecipuè, et recentium bellorum in Italia, et Gallia geſtorum hiſtoriam complectentes; nunc primum in lucem editi cum Indice locupletiſſimo Venetiis* 1572. Titulus iſte procul dubio in cauſſa fuit, cur Geſnerus, vel potius, qui ad illius Bibliothecam acceſſiones ſcripſit Joannes Jacobus Friſius Tigurinus (2) dubitaverit; Draudius (3) verò aſſeruerit, Hieronymum noſtrum publicaſſe *Hiſto-*

(1) Vanderlinden, et Morerius *locis indit.*
(2) *Pag.* 350.
(3) *Bibliotheca Claſſica pag.* 734.

Hiſtoriam de Gothis, et Longobardis. Venetiis apud Aldum Manutium 1572. Anno 1589. in lucem emiſſae iterum ſunt memoratae Hiſtoriae a Senatu Ravennate hoc titulo: *Hiſtoriarum Ravennatium Libri decem hac altera editione Libro undecimo* (1) *aucti, et multiplici, inſigniſque antiquitatis hiſtoria ampliſſimè locupletati ad Sixtum V. P. O. M. Venetiis ex Typographia Guerrea* 1589. *fol.* Huius etiam editionis exemplaria quaedam vitiata ſunt quod ad annum ſpectat, et excuſorem; in quibusdam enim ſecunda haec editio facta legitur anno 1590. *per Franciſcum Franceſchi Senenſem;* in quibusdam aliis anno 1603.(2). Cum hujuſmodi impoſturam non deprehenderit Petrus Burmannus, ſibi perſuaſit, Hiſtoriarum Ravennatum quatuor editiones revera habitas eſſe; ſic namque ſcribit: *collatis codicibus quatuor praecedentium editionum* 1572. 1589. 1590. 1603. *Venetiis in fol. impraeſſarum, ultimam quidem anni ſcilicet* 1603. *elegimus, ut juxta ejus exem-*

(1) Perperam Konigius *in Biblioth. Vet., et Nova pag.* 705. ſcribit, has Hiſtorias XII. libros complecti. Idipſum aſſerit Morerius *in Magno Diction. Hiſtor.* ad verbum *Rubeus*, qui etiam in eo errat, quod exiſtimet, Rubei Hiſtorias primò evulgatas anno 1589. fuiſſe.

(2) Vide Fontaninium *Bibliotheca dell' Eloquenza Italiana Claſſe* 6. *cap.* 2. *pag.* 543. *ed.* 1737.

xemplar editionem noſtram exprimeremus (1). Praeſenti ſeculo, anno videlicet 1722. in vulgus rurſus prodiere *in fol. T. VII. parte* 1. *Theſauri Antiquit; et Hiſtor. Italiae. Lugduni-Batavorum ſumptibus Petri Vander Aa Bibliopolae, Academiae, atque Civitatis Typographi.*

XXVII. Vita Nicolai Papae IV. ad Sixtum V. De hac paullo poſt agemus diligenter.

XXVIII. Julii Ferretti Ravennatis Vita. Eſt initio operis eiuſdem Julii *de Re Militari. Venetiis apud Bologninum Zalterium* 1575. *in fol.*

XXIX. S. Pii V. Pontificis Maximi Vitam a Hieronymo Catena italicè conſcriptam, juſſu Praeſidis Ghiſlerii in linguam latinam vertit. Colligitur hoc ex memoriis laudatis ad annum 1582.

XXX. De ſua ad Clementem VIII. Legatione Commentarius. Idibus Maji 1605. Incipit: *Vacabat jam undecimum menſem &c.* Exſtat MS. Ravennae in Bibliotheca S. Vitalis.

XXXI. Catalogo delle Reliquie, che ſono nelle Chieſe di Ravenna, nel quale ſi tratta della fondazione, e prerogative di ciaſcu-

(1) *In Praefat. ad novam edit. Lugduni-Batavorum.*

ciaſcuna Chieſa. Servatur MS. in eadem Bibliotheca S. Vitalis, et apud plures alios.

XXXII. Capitoli de i novanta Pacifici. Bologna per Sebaſtiano Bonomi 1620. Collegit Rubeus, dicavitque Praeſidi Ghiſlerio teſte Caeſare Martellino *in Oratione de hoc Magiſtratu*. Pluries editio repetita.

XXXIII. Lettere a Brunoro Zampeſchi Signore di Forlimpopoli. Vulgavit Franciſcus Turchius *lib.* 2. *Lettere Famigliari di Uomini Illuſtri n.* 94.

Haec ſunt, quae de Hieronymi geſtis, deque libris ab eodem perſcriptis narranda mihi eſſe neceſſarium duxi, ut apertius fieret ſummo ingenio, et plurimis litteris, nec iis vulgaribus ornatum illum fuiſſe. Pleraque omnia monumenta, quae in eius Hiſtoria, et librorum catalogo texendo uſui mihi fuere, accepta refero Petro Paullo Ginannio Monaſterii Ravennatis Sancti Vitalis erudituſſimo aeque, ac humaniſſimo Præſuli.

Nunc ad Vitam Nicolai IV. a Rubeo noſtro compoſitam, a qua longa digreſſione abſceſſimus, revertamur. Huius apographum, quo ego uſus ſum, cum anno 1759. menſe Quintili Roma, quo ante triennium conceſſeram, diſcederem, ut Liburnum ad munus Vicarii Generalis *Sancti Officii* obe-

c undum

undum peterem, mihi dono dedit Laurentius Cardinalis Ganganellius litterarum, Litteratorumque Mecoenas munificentiſſimus; qui praeterea ſummo flagrans deſiderio, ut res a Sanctiſſimo Pontifice geſtae illuſtriores, notioreſque fierent, me variis epiſtolis excitare ad eandem vitam evulgandam non eſt dedignatus. Memoratum apographum idem ipſe Cardinalis doctiſſimus exſcribi curavit ex MS. Bibliothecae Vaticanae numero *3566.* poſito, ex quo pariter exaratum eſt aliud exemplar, quod ſervare apud ſe clariſſimum Ginannium mihi per litteras ſignificavit.

Tametſi Poſſevinus, ceterique Hiſtorici antea laudati hanc Nicolai Vitam inter litteraria Hieronymi opera non recenſent, vix tamen, ac ne vix quidem ambigi poteſt, quin revera numerari debeat; enim vero praefatam Vitam confeciſſe Hieronymum, et Sixto V. Pontifici Maximo dicaſſe liquet ex monumentis (1), quae in controverſiam vocari nequeunt, et eidem hanc adjudicant Montfauconius (2), Vvaddingus (3), Palatius

latius

(1) Nimirum *ex MS. Vaticano citato;* imprimis verò *ex memoriis laudatis ad ann.* 1584.

(2) *T. I. Bibliothecae Biblioth. MSS. pag.* 109.

(3) *T. V. Annal. Ord. Min. ad ann.* 1291. *n.* 1. *pag.* 252. *ed. Romanae.*

latius (1), atque Bzovius (2), qui inſuper multa ex ipſa totidem verbis deſcripta in ſuos intulit Annales Eccleſiaſticos.

Quo anno, quaque ratione Rubeus hanc Vitam ſcripſerit, ipſe exponit in epiſto'a ad Sixtum V., in qua etiam indicat monumenta, quae ſibi ad eam condendam adjumento fuerunt; ait namque *cum ipſius Pontificis diplomatibus*, *tum ex huius Annalibus Provinciae manuſcriptis magnam partem* eius elaboraſſe. Me ſanè latet, cur non aſſeruerit uſum quoque eſſe in hoc opere S. Antonini Chronicis, ex quibus ſanè plura iisdem ferè verbis accepit (3); et Hiſtoriis Ravennatibus, quas in rebus ad Flaminiae Provinciam ſpectantibus exſcripſit (4). Annales MSS. Provinciae laudatae a Rubeo noſtro memoratos ex Codice MS. Comitis Brandolini *de Brandolinis* in lucem emiſit celeberrimus Muratorius (5) ſequenti titulo: *Annales Foroliviendes ab anno MCCLXXV. uſque ad annum MCCCCLXXIII. Anonymo*

(1) *De Geſtis Roman. Pontiff. T. III. pag.* 118.

(2) *In Annal. Eccleſ. ad ann.* 1289. *n.* 1., *ad ann. ſequent. n.* 2.

(3) Vide *par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 6. *fol.* 63., *tit.* 24. *cap.* 9. §. 7. *fol.* 204. *ed.* 1543.

(4) Confer *lib.* 6. *ad ann.* 1288. *et ſeq. pag.* 469. *et ſeq. ed. Guerreae.*

(5) *T. XXII. Script. Rerum Ital. col.* 135. *et ſeq.*

Auctore. Ex Nicolai diplomatibus non multa vidit Hieronymus; hinc licet hoc opus Hiſtoria potius eorum omnium, quae praeſertim in Italia Nicolai IV. temporibus acciderunt, quam eiusdem Pontificis Vita appellari queat, diſſimulandum tamen non eſt, nonnulla maximè ex iis, quae SS. Pontifex geſſit pro vulganda in varias mundi regiones Chriſti Religione, praetermiſſa a Rubeo fuiſſe. Quamobrem operae pretium duxi non ſolum errores quosdam corrigere, loca obſcura illuſtrare, ſed etiam ea addere, quae deſiderabantur, tum ex diplomatibus a Bzovio, Vvaddingo, Raynaldo, Bremondio, aliiſque in communem utilitatem datis, tum ex monumentis non paucis, quae plurium clariſſimorum virorum cura, et diligentia praeſenti, elapſoque ſeculo ſummo reipublicae litterariae bono lucem aſpexerunt. Optimum pariter eſſe judicavi multa a ceteris Scriptoribus, qui Nicolai geſta poſterorum memoriae mandarunt, vel omnino praetermiſſa, vel molli ſolum brachio tractata, diffuſius, et accuratius examinare; praeſertim verò Pontificem noſtrum a calumniis defendere, quas Magdeburgenſes, Auctor Anonymus (1) Hiſto-

(1) Sunt qui putant Auctorem huius operis, cui

Hiſtoriae Summorum Pontificum uſque ad Benedictum XIII. perductae, et Hagae Comitum anno 1733. lingua gallica quinque voluminibus *in quarto* publicatae; Villanius, Platina, aliique cum Proteſtantes, tum Catholici ei inuſſerunt.

Quae cum ita ſint nemo non videt, probeque ſentit, laborem hunc meum ſupervacuum prorſus non eſſe. Aliud etiam accedit comodum, quo fit, ut idem labor utilis omnino ſit, ac fructuoſus; nam etſi Bzovius, Spondanus, Raynaldus, Fleurius, Natalis Alexander in Annalibus, et Hiſtoriis Eccleſiaſticis; Vvaddingus, Rodulphius, Marcus Ulyſſiponenſis, Hueberus, Mazzara in Ordinis Minorum Annalibus, et Hiſtoriis; Platina, Panvinius, Ciaconius, Oldoinus, Papebrochius, Palatius, Pagius, et alii in Summorum Pontificum Vitis praeclara Nicolai facinora tradant, quo tamen il-

 lorum

cui titulus *Hiſtoire des Papes* eſſe *Petrum Franciſcum Courajerum*, ac ita opinatus eſt etiam eruditiſſimus P. Travaſa *Hiſtoria Critica Vitae Arii lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 226. Verum *T. I. Hiſt. Criticae Vitarum Haereſiarch., qui primo Eccleſ. ſeculo vixerunt pag.* 121. prima variata opinione exiſtimat eſſe *Franciſcum Bruys* natione Gallum, qui cum ad Proteſtantium caſtra in Belgio tranſiiſſet, ibique memoratum publicaſſet opus, tandem ad Eccleſiam Romanam rediit, in eiuſque ſinu deceſſit.

lorum notitia omnibus abſoluta numeris habeatur, neceſſum eſt memoratos omnes Auctores legere; at haec Hiſtoria ſe ſola quaecumque ille geſſit palam facit.

Sed tempus jam eſſe video, ut ad monumenta, quae in Appendice poſita ſunt, convertatur oratio mea. Eorum primum eſt epiſtola Nicolai ad Eduardum Angliae Regem, qua Pontifex eum hortatur ad curandum, ut Alphonſus Aragoniae Rex Carolum Andegavenſem Caroli Siciliae Regis natu majorem e cuſtodia, ubi aſſervabatur, eriperet. Duo ſequentia ſunt eiusdem Nicolai epiſtolae ad Bonifacium O. P. Archiepiſcopum Ravennatem, Petrum Archiepiſcopum Montis Regalis, et Rainonum, ſeu Raynerium Viterbienſem laudati Ordinis alumnum ſcriptae occaſione, qua ob eamdem rationem ad memoratum Alphonſum Apoſtolicae Sedis Legati miſſi ſunt, quemadmodum narrat etiam Rubeus. Has porrò epiſtolas, quas ex earum autographis in Tabulario Eccleſiae Ravennatis exſtantibus deſcriptas accepi a praeſtantiſſimo Ginannio eo libentius publicavi, quod nondum exierint, atque in vulgus emanaverint, vel ſaltem nec ab Annalium Eccleſiaſticorum Auctoribus, nec a Bremondio in Collectione omnium diplomatum, quae

Roma-

Romani Pontifices pro inclyta Fratrum Praedicatorum ſocietate dederunt, exibeantur.

Quartum eſt fragmentum cujuſdam Chronici, quod incipit a mundi creatione, terminatque poſt narratam Bonifacij VIII. Hiſtoriam. Vir doctiſſimus, quem honoris, gratique animi cauſſa nomino P. Sbaralea per litteras calendis Maji currentis anni Roma datas me monuit huius Chronici quatuor exemplaria ſervari in celebri Bibliotheca Florentina Cenobii S. Crucis PP. Minorum Conventualium. Cum anno praeterito Florentiae verſarem ex iis tria tantum ego vidi ſcamno XX. ex parte Clauſtri primum *in* 4., ut aiunt, numero *628.*, quod principio caret; cetera duo *in fol.* alterum num. *623.*, alterum num. *620.*, ad cuius calcem haec habentur verba: *Speculum Paulini, ſive Satirica rerum geſtarum mundi: eſt ad uſum F. Thedaldi de Mugello Ordinis Minorum* (1). Idem ipſe Sbaralea arbitratur (2) laudati Chronici auctorem,

c 4 quem

(1) De viro hoc doctiſſimo noſtri Florentini Coenobii alumno fusè diſſerit eruditiſſimus Mehus *in Vita Ambroſii Camaldulenſis*, ſeu *in Hiſt. Litterar. Florent. pag.* 334. *et ſeq.*

(2) In litteris modo citatis. Hanc eſſe viri clariſſimi mentem notat etiam celebris P. Joannes de Au-

quem ego Anonymum S. Crucis vocare ſoleo, eſſe Paulinum Venetum Ordinis Minorum ſodalem, qui poſt varia pro Eccleſia Romana munera geſta in Epiſcopum Puteolanum anno 1324. electus eſt, deceſſitque anno 1344., ut fusè narrat P. Joannes de Auguſtinis (1). Paulini Puteolani Hiſtoriam ab origine mundi in Codicibus ad noſtram Caeſenatem Bibliothecam a *Malateſtis* inſtitutam ſpectantibus numerant Poſſevinus (2), et Montfauconius (3): quae quidem Hiſtoria nunc etiam ſaltem imperfecta in eadem extat, ut contra Hieronymum Tartarotium ſcribentem (4) in Bibliothecam Vaticanam tranſportatam fuiſſe, teſtantur celeberrimus Manſius (5), doctuſque P. M. Mucciolius in Caeſenate Academia Metaphyſi-

de Auguſtinis *Notizie Iſtorico Critiche intorno la Vita, e le Opere degli Scrittori Veneziani T. II. pag.* 301.

(1) *Op., et loco cit.*

(2) *T. III. Appar. Sacri in Catalogo MSS. Biblioth. Caeſenat. pag.* 135.

(3) *T. I. op. laud. pag.* 434.

(4) *Diſſertat. Epiſtol. de Auctoribus ab Andrea Dandulo laudatis in Chronico Veneto n. 7. pag.* 8. apud Muratorium *T. XXV. S. R. Ital.*

(5) *In Acceſſionibus ad Biblioth. Fabricianam T. V. lib.* 15. *pag.* 206. *T. VI. lib.* 19. *pag.* 231. *ed. Patavin.*

phyſicae Lector (1), qui multis ab hinc annis publicè promiſit, in ſeque recepit accuratiſſimum Malateſtarum Bibliothecae indicem in lucem emittere. Utinam citò fidem liberet ſuam.

Memoratam Hiſtoriam genuinum eſſe Paulini Veneti opus, nemo unus, quantum ſcio, inficiatur, ſed ipſi adjudicandam pariter eam eſſe, quae ſervatur in Bibliotheca S. Crucis, ſin minus negat, at vehementer dubitat eruditiſſimus Auctor Hiſtoriae Litterariae Italiae; en eius verba: *Un' altra*

(1) In litteris ad me ſcriptis hoc anno 10. calend. Februarias. In iiſdem litteris mihi ſignificavit, Codicem, qui Paulini Hiſtoriam continet eſſe membranaceum, in Folio, ut ajunt, ac modo deſinere poſt narratam Conſtantini Magni contra Maxentium victoriam, ſiquidem plures illius paginae forficibus reciſae ſunt. Ex hoc probabiliter colligi poſſe videtur, neque Paulini Hiſtoriae fragmentum, quod Caeſenae deſideratur, Romam delatum eſſe, quemadmodum opinatur eximius Auctor Hiſtoriae Litterariae Italiae *T. VII. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 7. *nota* 9. *pag.* 346. ita ſcribens: *forſe alla Vaticana paſſò quel pezzo, che manca in Ceſena.* Tametſi quis eas paginas reciderit, me latet, vereor tamen ne idem infortunium paſſae illae ſint, quod aut variis antiquis chartis unius cuiuſdam Monaſterii, aut quibusdam aliis pretioſis Codicibus MSS. accidiſſe narrat teſtis oculatus Auctor doctiſſimus Ephemeridum Florentinarum *ad ann.* 1747. *n.* 4. *pag.* 51.

tra Storia di certo Paolino ſi ha in due (quatuor) *Codici della illuſtre Libreria di S. Croce in Firenze. V' ha chi ſoſpetta eſſer ella del noſtro Paolino, maſſimamente che molto diffondeſi nel raccontare le geſte di S. Franceſco, e de ſuoi diſcepoli. Ma a decidere una tal controverſia, nella quale io penderei piutoſto a torre al Paolino Viniziano tal opera, vorrebbevi un confronto della Storia contenuta ne Codici Fiorentini coll' altra di Ceſena, non eſſendo credibile, che lo ſteſſo Paolino a due diverſe Storie univerſali poneſſe mano, e parendo per l' altra parte, che quella di Ceſena ſia del Veſcovo di Pozzuolo* (1). Certè quidem Hiſtoriae unius cum altera collatio, ex qua pateret an utraque conveniat inter ſe, nec ne, rem extra omnem dubitationis aleam poneret. Nihilo tamen ſecius uſque donec ex huiuſmodi comparatione oppoſitum non appareat, prudenter judicare licebit, utramque inter ſe convenire, eumdemque habere Auctorem; enim verò utraque Hiſtoria exorditur ab mundi principio, deſinitque initio ſeculi XIV.; unde probabile ſumitur argumentum, utramque Hiſtoriam eandem eſſe, et ab eodem Auctore conditam, et eo tempore vixiſſe, quo florebat etiam Pauli-

(1) *T. IX. par. 1. lib. 1. cap. 10. num. 13. pag. 146., et ſeq.*

Paulinus Puteolanus; ad haec, quae eſt in Bibliotheca S. Crucis ſcripta dicitur a Paulino quodam, nec iis temporibus alter Paulinus inter Scriptores legitur, quam Puteolanus: de rebus ad Ordinem FF. Minorum ſpectantibus fusè pertractat, quod ut plurimum ſoli eiuſdem Ordinis alumni facere ſolebant.

Huius Hiſtoriae Auctor, quicunque demum ille ſit, non pauca habet, quae totidem verbis leguntur in Chronico, quod primum edidit Muratorius (1), et Jordano adjudicavit. Quare vel Auctor noſter ex Jordano, vel e contrario Jordanus ex Auctore noſtro multa accepit. Non ſemel pariter in errorem labitur, quemadmodum vel ex fragmento a me in communem uſum dato conſtare poteſt; ex quo factum eſſe cenſeo, ut Coluccius Salutatus ſcribens ad Ferdinandum *de Eredia* virum doctrina, pluribuſque dignitatibus inſignem *Satyram Paulini* non ſecus, atque *Speculum Hiſtoriale* Vincentii Bellovacenſis, et Martini Poloni *Chronica* nugas appellet (2).

Quintum monumentum excerptum eſt

 ex quo-

(1) *T. IV. Antiquit. Ital. medii aevi pag. 951., et ſeq.*

(2) Colucci litterae ſunt apud celebrem Laurentium Mehus *op. cit. pag. 296.*

ex quodam membranaceo Codice ſeculi XIV. complectente S. Franciſci Vitam a S. Bonaventura conditam, et Catalogum Miniſtrorum Generalium Ordinis Minorum a Joanne Parenti Florentino eorum omnium primo ad *Gondiſalvum* natione Hiſpanum, cui anno 1304. Aſſiſii totius Franciſcanae ſocietatis regimen demandatum fuit. Codex memoratus ſervatur in Regia Bibliotheca Taurinenſi (1), eiuſque fragmentum, quod evulgavi, ut mihi tranſcriberetur curavit clariſſimus Guidus Gaſchius cauſſarum Advocati munere Taurini fungens. De illius Auctore nihil explorati habeo. Ex veteri Chronico (2), de quo diſſeram paullo poſt, erudimur, Bernardum *de Beſſa* Aquitanum S. Bonaventurae Socium, et a Secretis ſcripſiſſe Catalogum eorundem Miniſtrorum; illumque perduxiſſe uſque ad *Bonamgratiam* anno 1279. in Comitiis Aſſiſienſibus electum teſtantur Rodulphius (3), Vvaddingus (4), Azzoguidius (5), et Voſſius (6). Utrum Chro-

(1) *Numero MXXVIII. litt. K. III. 12.*

(2) Apud cl. Azzoguidium *in notis ad Vitam S. Antonii Patavini a Siccone Polentonio ſcriptam num. 26. pag. 111.*

(3) *Hiſtoria Seraph. Relig. lib. 3. fol. 311.*

(4) *In Syllabo Scriptorum O. Min. pag. 59.*

(5) *Op. cit. pag. 97.*

(6) *De Hiſtoricis Latinis lib. 3. cap. 8. pag. 787.*

Chronicum hoc Taurinenſe idem ſit, ac laudatus Bernardi Catalogus ab aliquo recentiori Scriptore uſque ad *Gondiſalvum* extenſus, aliorum eſto judicium.

Ex Codice item membranaceo magnae formae foliis 189. conſtante exſcriptum eſt fragmentum, quod ſexto loco in apertum protuli. Complectitur hic Catalogum XXIV. priorum Miniſtrorum Generalium Ordinis Minorum, a S. Franciſco nempe uſque ad Leonardum *de Ciſſono* in Regno Neapolitano, qui ſupremum Ordinis regimen ſuſcepit anno 1373. in Comitiis Toloſae habitis, illudque dimiſit poſt quinquennium cum inter Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinales relatus eſſet. Eiuſmodi Codex exſtat in noſtri Coenobii Aſſiſienſis Tabulario; laudatum verò fragmentum accepi a viro ſatis erudito mihi amicitia, et ſodalitate conjuncto Ubaldo Thebaldio eiuſdem Coenobii alumno. Petrus Rodulphius, quem paullo ante memoravi, in Hiſtoria Seraphicae Religionis (1) haec habet: *quidam Vaſco citerioris Hiſpaniae ...... deſcripſit geſta Religionis Franciſcanae ab initio Religionis ad annum* 1373. His verbis indicare voluiſſe Rodulphium Chronici, de quo in praeſentia lo-

(1) *Lib.* 1. *fol.* 7.

tia loquimur, Auctorem (2), me monuit litteris ſupra citatis clariſſimus P. Sbaralea. Ex Rodulphio igitur diſcimus quaenam fuerit Auctoris huius Chronici natio; ex anno verò, ad quem uſque Hiſtoriam ſuam perduxit, tempus, quo ille floruit, probabiliter agnoſcimus. Ex his porrò tribus Chronicis, ne praeſens opus nimis augeretur, ea tantum edere optimum duxi, quae conducere poſſe exiſtimavi ad illuſtrandam Nicolai Hiſtoriam, quo tempore aut privatam vitam inter Fratres Minores degebat, aut Cardinalis, aut Summus Pontifex erat; ac illorum, quae facta ſunt, cum is univerſam regebat Eccleſiam.

Septimum tandem, poſtremumque monumentum eſt Diſſertatio Benedicti XIV. de cultu publico non exhibendo Nicolao IV. in

(1) Erit fortaſſe, qui huic opponet ſententiae, Chronicum laudatum non ad annum 1373., ſed ad annum uſque 1379. pertinere: at licet hoc ſentiat eruditus Azzoguidius *opere cit. pag.* 97., et 206., tamen a veritate alienum eſt: idque diſco tum ex Marco Ulyſſiponenſi *in Chron. Ordinis Min. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 33., qui eodem Chronico uſus eſt, ſtatim poſt Leonardi electionem anno 1373. factam, ita ſcribente: *quivi finiſcono le Croniche, et Hiſtorie antiche di ventiquattro Miniſtri Generali, che ſucceſſero a Santo Franceſco*; tum ex litteris a Thebaldio memorato mihi datis anno elapſo pridie calend. Novembris.

IV. in Baſilica Liberiana, in qua Corpus eius requieſcit. Diſſertatio haec in latinum verſa prodiit in lucem et Venetiis apud Joannem Baptiſtam Albrizzium anno 1751. tum ſeparatim, tum conjunctim ſcilicet *T. I. Diſſertationum Miſcellanearum Benedicti XIV.*, et Romae in Collectione omnium fere Operum eiuſdem Pontificis; veruntamen neminem futurum eſſe confido, qui mihi crimini det, quod rurſus eam divulgaverim, ut illorum, qui eandem legere optant, nec opportunitatem habent memoratas Collectiones manu verſandi, commodis conſulerem. Quid cauſſae fuerit, cur Pontifex doctiſſimus eruditam condiderit Diſſertationem, narrat diligens, ac pius Canonicus Strozzius in Opuſculo MS., quod anno 1760. compoſuit, ac ita inſcripſit: *Nuove circoſtanze di fatto, e rifleſſioni in riſpoſta alla Diſſertazione della fel. mem. di Benedetto XIV. intitolata: de Nicolai Papae IV. publico cultu in S. Maria Majore*. Itaque laudati Canonici verba hic exſcribenda ſunt; eo maximè quia ex his liquet etiam quonam pacto, non ſolum Nicolai oſſa, ſeu potius cineres reperti ſecundò ſunt, ſed inſuper variae eius Reliquiae: *In congiuntura del moderno ſontuoſo riſtoramento fatto alla medeſima noſtra Baſilica* (Liberianae)

dalla

dalla fel. mem. di Benedetto XIV., toglien-doſi quel depoſito dal ſuo luogo (1) per ſitu-arlo, come ſi fece, appiè della Navata gran-de; in tale occaſione il dì 29. Novembre 1746. ſi trovò ſotto di lui l' urna ſepolcrale di Ni-colò IV., che aveva il coperchio di due pez-zi ſopra cui era inciſa queſta iſcrizione

✠ Hic requieſcit

Nicolaus PP. Quartus

Filius Beati Franciſci

Dentro l' urna ſi videro minutiſſimi frammen-ti di oſſa, o piutoſto ceneri di oſſa meſcolate frà molti ſtracci di drappo pavonazzo fiorito d' oro con altri ſtracci di pura ſeta color Caf-fè, come ſi eſprime nello Strumento per gli Atti del Monti, rogato ſotto il medeſimo gior-no. Quando ſi collocò, come ſopra il depoſito, appiè di eſſo vi fu poſta l' urna ſuddetta con tutte le Reliquie trovatevi dentro; di modo che in oggi quell' urna riſponde ſotto la nuo-va pila dell' acqua Santa, attaccata all' im-baſamento dello ſteſſo depoſito.

Finalmente il dì 9. Gennajo 1750. men-tre io come Canonico Sagreſtano Maggiore alla pre-

(1) Nicolai tumulus ab anno 1574. ad eam diem fuerat ad dexteram Chori eiuſdem Baſilicae. V. *hanc Hiſt. pag.* 151.

preſenza del P. Giuſeppe Bianchini (1), *e di vari Miniſtri Eccleſiaſtici della noſtra Baſilica riſcontravo ad una ad una tutte le Sante Reliquie* (*che allora per modo di proviſione ſtavano con due lampadi ſempre acceſe nell' armario della Cappelletta Canonicale, e per l' addietro continuamente ſi tenevano in Chieſa all' adorazione del Popolo racchiuſe nel Ciborio del vecchio Altare chiamato l' Altare delle Sacre Reliquie*) *fra di eſſe vi trovai un' involto di carta colla ſeguente iſcrizione*: de Papa Nicola diſcepolo di Santo Franceſco. *In eſſo ſi contenevano due involtini pure di carta, in uno de' quali ſi leggeva queſto titolo*: delle veſtimenta di Santo Nicolò Papa, che fù diſcepolo de Santo Franceſco morì 109; *nel ſecondo poi leggevaſi*: le oſſa de Santo Nicolò Papa, che fù diſcepolo de Santo Franceſco morì del 109. *Aperto l' uno, e l' altro degl' involtini ſudetti riconobbi, che quelle Reliquie riſcontravano a puntino colle Reliquie, che io ſteſſo il dì 29. Novembre 1746. aveva molto bene oſſer-*

(1) Blanchinus pluribus libris editis longe clariſſimus, quantum audivi, parat Hiſtoriam Baſilicae Liberianae. Utinam hanc cito publicet; ſiquidem non dubito, quin vir erudititiſſimus multa de Nicolai cultu, imprimiſque de Altari, quod eidem excitatum dicitur, ſit feliciter explanaturus.

oſſervato nell' urna ſepolcrale del medeſimo Pontefice. Senza dubbio quelle porzioni di veſtimenta, e di oſſa di Niccolò IV. furono cavate dalla ſua urna ſepolcrale allorche il Card. Felice Peretti gli fabbricò il nobile depoſito. In ordine al carattere delle riferite iſcrizioni, perchè il P. Bianchini diſſe, che gli pareva di quei medeſimi tempi, preſi a ſoſpettare, che foſſe mano dello ſteſſo Card. Felice Peretti, come in fatti ritrovai pochi giorni appreſſo, confrontandolo con altro ſuo ſcritto indubitato; nel qual confronto il Signor D. Andrea Fidanza Sagreſtano col Signor D. Filippo Onofri Sottoſagreſtano della noſtra Baſilica mi fecero avvertire, che alcune di quelle lettere erano fra loro tanto ſomiglianti, come ſe foſſero fatte con la ſtampiglia.

In quanto poi al conſaputo numero 109. *egli ſta in qualche diſtanza dalla parola* morì; *onde in verun modo ſi ha da riferire alla morte di Niccolò IV.: forſe quel numero non e altro che un regiſtro relativo al catalogo delle Sante Reliquie radunate dal Card. Felice Peretti.* Memoratus Canonicus ex his, aliiſque rationibus infert, Baſilicae Liberianae *Capitulum* tempore Cardinalis Peretti Nicolaum ceu Sanctum habuiſſe; deinde ſubjungit: *poco dopo l' enunciata ſcoperta avendo meſſo inſieme qualche documento intor-*

no alla

no alla fama di Santità di Niccolò IV. di cui per l' addietro ero affatto digiuno, rappreſentai a' miei Signori Concanonici il culto, che ſi dava nella noſtra Baſilica al mentovato Pontefice in quelle ſue Reliquie. I medeſimi temendo di renderſi contumaci ai decreti fulminati di Urbano VIII., ſi credettero in obbligo di notificarlo alla fel. mem. di Benedetto XIV. pèr ſentire da lui qual uſo ſi doveſſe fare delle mentovate Reliquie. Io pertanto ſteſi una breve relazione del fatto, e gliela preſentai il 18. Ottobre del medeſimo anno 1750., nella quale relazione aggiunſi vari monumenti, che riguardavano la fama di Santità di queſto ſuo predeceſſore, e vi accennai un Altare, che parimente nella noſtra Baſilica fu eretto in onore di eſſo poco dopo la ſua morte. Noſtro Signore ſotto il 24. dello ſteſſo meſe d' Ottobre ſi degnò riſpondere con una dottiſſima Diſſertazione in italiano munita della ſua firma, e ſigillo.

Hactenus Canonicus Strozzius in Opuſculo paullo ante citato, quod licet Romae acceperim a viro ſcientia, ac dignitate Eminentiſſimo Laurentio Ganganellio, integrum tamen edere nolui, ſed ex eo duntaxat excerpſi quaecunque pro Nicolao vel gravia, vel ſaltem minus levia viſa mihi ſunt, illaque divulgavi in adnotationibus ad Benedi-

nedicti XIV. Diſſertationem. In iisdem adnotationibus nonnulla item leguntur, quae ad Nicolai ſanctitatem probandam pertinent, a Canonico noſtro laudato in Opuſculo praetermiſſa: ipſe ea addidi, non quidem ut repugnarem aut Urbani VIII., aut aliorum Summorum Pontificum decretis; quinimo haec ſumma veneratione, obſervantiaque proſequor; ſed tantum ut quid dici queat in quaeſtione, de qua in utramque partem diſputandi libertatem dedit idem ipſe Benedictus, exponerem.

Reſtat nunc ut praefationi meae finem impoſiturus, omnia, quae in hoc opere dicta a me ſunt, tibi erudite Lector, examinanda, atque expendenda offeram, quò *per te errata corrigantur, biantia ſuppleantur, ſuperflua diradantur, neceſſaria ſupponantur, et ubi deviaverim, quod fateor facilè ſit*, ignorantia *mea veniam conſequatur, quin et contra inſultantium irriſionem auctoritatis tantae defenſione muniatur. Cum tamen, Deo teſte, pro hoc minime movear ſi quis me talium elatus irriſerit, vel inurbanum quicquam conflaſſe verboſius objecerit, ut tantum ſtudioſis, et Deum timentibus ſimplicem veritatis ſententiam conſtruxerim; et his, qui fortè, ſpiritus Domini inſpiratione annuente, poſt hoc dum livor invidiae nubila praetendens occiderit, praedicti*

dicti

dicti Antiſtitis actus, et vitam condigna reverentia condecorare noverint, et voluerint, rerum, et temporum certum ordinem depinxerim (1).

(1) Vvolferus *in Epiſt. ad. Albuinum praemiſſa vitae S. Godehardi Epiſcopi Hildesheimenſis* apud Bollandianos *T. I. Maji ad diem* 4. *pag.* 502. *ed. Antuerp.*, et apud Mabillonium *in Actis SS. O. S. B. ſec.* 6. *par.* 1. *pag.* 351. *ed. Venetae*.

F. Joan-

Digitized by Google

F. Joannes Baptiſta Colombini Artium, & Sacrae Theologiae Doctor, in Regia Ticinenſi Univerſitate Theologiae Dogmaticae, & Hiſtoriae Eccleſiaſticae publicus Profeſſor, Sacrae Romanae Vniverſalis Inquiſitionis Conſultor, totius Ordinis Minorum Sancti FranciſciConventualium poſt Seraphicum Patriarcam Miniſter Generalis LXXXVII.

CVm opus, cui titulus: *Vita Nicolai Papae VI.Ordinis Sancti Franciſci a Hieronymo Rubeo &c.* a Patre Magiſtro Felice Mattei Noſtri Ordinis, ac Provinciae Thuſciae Definitore Perpetuo, & in Piſana Vniverſitate Publico Sacrae Theologiae Profeſſore compoſitum, duo Ordinis noſtri Theologi juſſu noſtro recognoverint, & in lucem edi poſſe teſtati fuerint, facultatem impertimur, ut typis tradatur, ſi iis, ad quos attinet, videbitur.

In quorum &c. Datum Romae ex Ædibus noſtris SS. XII. Apoſtolorum die 5. Septembris 1761.

F. J. B. Colombini Miniſter Generalis Ordinis

F. Joſeph Maria Caſſera de Mediolano Secretarius, & Aſſiſtens Generalis Ordinis, ac Provincialis Angliae.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag.	lin.		
xxiii.	8.	in not. Loco cit.	T. XVII. pag. 432.
12.	4.	quattuordecim	quatuordecim
15.	11.	in notis enciclyca	encyclica
	31.	in notis Propileo	Propyleo
17.	5.	in notis viden,	viden'
30.	10.	in notis oppidum	oppido
	11.	poſitum	poſito
70.	3.	in notis belis	bellis
95.		nota quae eſt numero 3. removeatur, & collocetur pag. ſequenti num. 1. numero autem 3. ponatur nota, quae legitur ibidem.	
138.	17.	in notis 122.	134.
204.	5.	in notis accitus	aſcitus
218.	11.	in notis ac aliis	ac pro aliis
219.	5.	in notis recitanda	recitandis

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

SIXTO V. (1)

PONT. OPT. MAX.

BEATISSIME PATER.

MEi muneris ſemper duxi de Pontificatu Maximo Sanctitati Veſtrae gratulari. Cum enim Illam primum Romae (2) noverim, quo tempore, inſigni probitatis, ac doctrinae fama, generalem Ipſa ſui Ordinis Procuratorem gerebat, ego iſtuc, Io-

A annis

(1) Antea Felix Perettus vocabatur de Ordine Fratrum Minorum, quos modo *Conventuales* communiter appellant. In ſummum Pontificem electus eſt anno 1585. octavo cal. Maji, ac mortuus anno 1590. ſexto calend. Septembris.

(2) Anno ſcilicet 1564; quo Rubeus in Urbe morabatur, ut in Praefatione noſtra dicemus, et Felix Perettus res pro Ordine noſtro publicas in Aula Romana adminiſtrabat, quod munus demandatum ei eſt anno 1562., geſſitque ad annum uſque 1565., ſicuti narrat Franchinius *Memorie Letter. di Scrittori Franceſ. Conv. n.* 139. *pag.* 254.

Digitized by Google

annis Baptiſtae Rubei (1) Carmelitanorum Generalis Praefecti patrui mei viſendi cauſa, veneram, poſtea Ravennae, quam ad Vrbem Ipſa tum Epiſcopus ordinem ſuum inviſens, et confirmans ſe (2) contulerat, officii cauſa ſalutaverim, à Sanctitate Veſtra humaniſſime complexus, videbar mihi ipſi deeſſe, niſi ſi qua ex parte, ſupra ceteros, qui Sanctitatem Veſtram, praeter virtutum ejus famam, quae per omnium ora, atque aures clariſſima ferebatur, antea cognitam non habuere, et ſibi gratularer, et aliquo ſigno gratulationem hanc meam teſtatam facerem. Sed temeritatis notam veritus, dum partes, tametſi altiſſimae reverentiae, implere ſtudeo, quod nimium

(1) Joannes Baptiſta Rubeus Prior, ut ajunt, Ordinis ſui Generalis inſtitutus eſt Romae die 21. menſis Maij anno 1564. cum per biennium ante Vicarij Generalis munere functus eſſet. Clarus virtutibus, pluribuſque libris editis, e vita deceſſit in Urbe anno 1577. Vide Coſmam de Villiers *T.* 1. *Biblioth. Carmelit. col.* 781. *et ſeq.*

(2) Anno 1567. vel initio ſequentis; nam Perettus anno 1566. menſe Januario Vicarius Generalis Ordinis conſtitutus, poſt annum integrum Epiſcopus ordinatus eſt Eccleſiae S. Agatae Gothorum. Cum autem utrumque officium obire juſſus a Pontifice eſſet, eo tempore Ravennam acceſſit illius Urbis Coenobium viſitaturus. Confer eruditiſſimum Tempeſtium *Storia della vita, e geſte di Siſto V. lib.* 3. *n.* 10. *e ſeg.*

nimium ego ſim humilis, et obſcurus, Ipſa ita ſplendido, ac ſublimi locata faſtigio, nullum ut ſit in terris excelſius, diu animi incertus fui, et adhuc eſſem, niſi ejus me bonitas, et humanitas, quae maximae habentur, et quibus imitari nititur illum, cuius Vicarium gerit, explicato tandem conſilio, ad id faciendum impuliſſet. Hoc vero dum cogito venit etiam in mentem id mei muneris cum vita Nicolai Quarti à me latine ſcripta conjungere; ratus fore, ut hac ratione, illud et Sanctitati Veſtrae gratius, et ceteris omnibus teſtatius accidat: nam et ex honeſtiſſimo Sepulcro, quod ad ejus memoriam Pontificis (1) excitavit, conijcere Sanctitatis Veſtrae in illum ſingularem animi propenſionem poſſumus; et qui manibus omnium hodie teritur Platina (2) de illo ſcribens praetermittit multa, in pleriſque fallitur, quod reliquum eſt ſtrictim attingit.

A Sanctitate veſtra maximopere etiam atque etiam peto, et quaeſo, ut quo ani-

 mo

(1) Conſule quae dicentur fere ad hujus vitae calcem.

(2) Baptiſta, ſeu potius, uti ſcribit Labbeus *in Diſſert. Philologicis ad Bellarm. de SS. Eccleſ.* Bartholomaeus vulgo Cremonenſis, ſed in oppido *Platina* natus, qui praeter alios *de Geſtis Romanorum Pontif. librum unum compoſuit*, obiitque Romae anno 1481.

mo monimentum illi nobile, elogiumque elegantiſſime ſcriptum poſuit, eo illius facta in hunc à me libellum cum ex ipſius Pontificis diplomatibus, tum ex hujus Annalibus (1) Provinciae Manuſcriptis magnam partem coacta, et ſecum una meum in Sanctitatem Veſtram cultum accipere ne gravetur. Ita praepotens Deus proroget in multos annos Sanctitati Veſtrae, quod ſperamus, vitam, tranquillumque ſaeculum largiatur, ut et juvare Chriſtianam Rempublicam, et ejus mederi malis, ita uti coepit, pergat, ad totque praeclare geſta illud addat, ut et ſumma auctoritate, et praeclariſſimis exemplis ad honeſtiſſimum virtutum culmen Alexandrum Perettum adducat Nepotem (2) ſuum ſpe maxima, et Chriſtiana juvenem, altaque indole, qui cum a Sanctitate Veſtra Sacra purpura ornatus in lubrica adoleſcentiae via tot periculoſis offenſionibus obnoxia Veſtrae Sanctitatis veſtigijs inſiſtat, et magnarum rerum aſſidua tractatione, Veſtrae Sanctitatis virtutum iter ſit jam ingreſſus, non dubium

(1) Vide dicenda in Praefat. noſtra.

(2) Sixti pronepos quatuordecim annis natus erat cum anno 1585. tertio idus Maji creatus eſt Cardinalis. De illius virtutibus legatur praeter Oldoinum Tempeſtius *op. cit. lib. 6. n. 23. et ſeq.*,

bium eſt, quin tanto Duce, in incepto ſi permanſerit, eo feliciſſime pertingat. Ravennae Tert. Cal. Octob. MDLXXXV.

Humillimus Servus, ac Subditus
HIERONYMVS RVBEVS.

Digitized by Google

VITA
NICOLAI QVARTI
PONT. MAX.

PER HIERONYMVM RVBEVM COMPOSITA.

SI perturbationes temporum, et maximae rerum moleſtiae, Principis, qui tum Imperio potitur, Eccleſiaſtici praeſertim, ſignificare virtutem poſſunt, cum exiſtimandum ſit, Deum pro eo ac neceſſitas poſtulat, opem ferre, triſtioribuſque temporibus Principes majores ſervare, Nicolaum Quartum Pontificem Max. inter optimos Pontifices inſigni virtute fuiſſe, omnique poſteritatis memoria dignum fateri jure, ac merito debemus (1): cum eo tempore ad Pontificatum fuerit evectus, quo Italia diſſenſionibus maxime agitabatur, et Italiae omnis fere civitas, et ex civitatibus

 ipſa

(1) Bartholomaeus Piſanus *lib. 1. Conformitatum &c. Fructu 8. par. 2. fol. 72. ed. 1513.* haec habet: *Frater Hieronymus de Eſculo, qui primò Generalis Ordinis, deinde Cardinalis Romanae Eccleſiae, demum concorditer in Summum Pontificem electus vocatus eſt Papa Nicolaus IV; qui prout narrabat quidam de Ferraria, qui fuerat Scutifer ſuus, et decem ſummos Pontifices agnoverat, praecipuus fuit inter omnes.*

Digitized by Google

ipſa in primis Roma; quin non Italia modo, ſed et Sicilia, ſed et Gallia, Europaque, ſed et Aſia ubi ſummo omnium, ſed hujus maxime optimi Pontificis maerore miſeri Chriſticolae et ipſi à ſeipſis, et à Sultano acerrime oppugnabantur. Quod ut magis pateat operae pretium puto, terrarum orbis qui ſtatus eſſet, cum Nicolaus Pontificatum adeptus eſt, brevi deſcribere. Aragonum, et Gallorum armis, qui aſſidue obſtinato ad victoriam animo inter ſe praeliabantur, Sicilia, Calabriaque, et quod Regni Neapolitani reliquum eſt, nullibi quieſcebat, Gallis Neapolitanum Regnum tueri, et Siciliam recuperare nitentibus jam ſex annis illis ademptam, cum per ingentem caedem ad hanc diem Veſperas Siculas appellatam, Regno pulſis, Rex Aragonum Petrus ſucceſſor inductus eſt (1): cui duo-

(1) Anno 1282., quo *duarum horarum ſpatio* tertio Kal. Aprilis die Sacro *Paſchae* cum ad Veſpertinos hymnos populus de more convocaretur, *octo Francorum millia occiſa fuiſſe conſtat. Inde adagio increbuit Veſper Siculus*, inquit Thomas Fazellus *de Rebus Siculis Decade 2. lib. 8. cap. 1. col.* 563. apud Petrum Burmannum *T. IV. Theſauri Antiq., et Hiſt. Italiae*. Siculi ad tantum ſcelus patrandum excitati ſunt a Petro Aragonum Rege. Conſule Ptolomaeum Lucenſem *lib.* 24. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 5. *col.* 1187. apud Muratorium *T. XI. S. R. I.*

duobus (1) jam annis vita functo Jacobus alter filius in Regnum Siculum, quemadmodum Regi Gallorum Carolo (2) paulo etiam ante mortuo Carolus Claudus primus filius, Tarenti (3) Princeps, Carolus ſecundus vocatus, in Neapolitanum, et jura Siculi ſucceſſerat: Is tamen bello navali prope Neapolim cum multis proceribus captus (4) Rogerij Lauriae ſtratagemate, qui triremim, in qua erat Carolus, perforari ab egregio, et forti urinatore curaverat, quar-

(1) Petrus laudatus obiit anno 1285. Menſe Novembri, idcircò non poſt duos, ſed poſt tres annos, et ultra a Gallorum caede. Huic ſtatim ſucceſſit Jacobus Filius, qui anno 1286. ab Honorio IV. ob occupatam Siciliam tertiò excommunicatus eſt. Adeundus Pagius *in vita Honorii IV. n.* 13.

(2) Carolus I. Caroli Claudi Pater, qui e vita migravit anno 1285. nonis Maji nunquam Galliae Regnum tenuit, ſed antequam Regni Siculi *inveſtituram* a Clemente IV. acciperet Comes Andegavenſis, ac Romae Senator erat. Vide Pagium *in vita Clementis IV. n. 6.*

(3) Ita vocatur a Nicolao Speciali *in H. Sicula lib.* 1. *cap.* 27. apud Murat. *T. X. op. cit. col.* 943. et apud Petrum de Marca *in Marca Hiſpanica col.* 621; nec non a Fazello *Dec. cit. lib.* 9. *cap.* 2. *col.* 576; ab aliis Auctoribus, quos legi, legi autem plures, appellatur Salerni Princeps.

(4) Anno 1284. initio menſis Junii. Conſule Villanium *in Hiſt. Florent. l.* 7. *cap.* 92. *col.* 301. apud Murat. *T. XIII. op. cit.* Poſt quadriennium libertas reſtituta ei eſt, ut ſuo loco fuſius dicetur.

quartum jam fere annum à Jacobo, et Alphonſo Aragonijs fratribus in cuſtodia habebatur. Ipſi quoque Piſani, et Genuenſes adeo inter ſe diſſentiebant, ut claſſibus eorum ad pugnam concurrentibus, Piſani amiſerint triremes novem ſupra quadraginta, hominum duodecim millia (1): quamobrem bello cum Genuenſibus omiſſo, ſeſe atrocibus Guelforum, et Gibellinorum factionibus, diſſidijſque miſcuerant, quibus Etruria infeliciter, lactalique incendio ardebat

(1) Navale bellum Piſanos inter, ac Genuenſes accidit anno 1284. Piſanorum claſſis poſtridie nonas Auguſti quaſſata eſt apud *Meloram* parvam Inſulam quinque millariis a portu Liburnenſi diſtantem. Quae de Navium, Civiumque numero, quos Piſani amiſerunt ſcribit Rubeus accepit ex Platina *in vita Honorii IV.* Auctor Anonymus *Fragment. Hiſt. Piſanae* apud Murat. *T. XXIV. op. cit. col.* 684. inquit: *funno ſconfitte le Galee del Comuno di Piſa, e preſe* 27. *Galee, e Galeoni, preſi bene XI. mila homini, morti più di* 1285., *e fu la ditta ſconfitta A. D.* 1285. (more Piſano) *del meſe d' Agoſto Domenica lo die della Feſta di Santo Siſto.* Villanius *lib. cit. cap.* 91. *col.* 300. narrat Naves a Piſanis amiſſas fuiſſe 40., Cives autem 16000. Alij et Navium, et Civium numerum minuunt. Conſule Murat. *T. XI. Annalium Ital. ad eum ann. pag.* 189. *ed.* 1753., unde nihil certi ob Hiſtoricorum diſcrepantiam ſtatui poteſt. Catalogum familiarum Piſanarum, ad quas Naves amiſſae ſpectabant exhibet doctiſſimus, atque eruditiſſimus Lamius *in adnot. ad chronicon Imperat. Leonis Urbevetani pag.* 285. *et ſeq.*

debat omnis: praeter graves Flaminiae, et Inſubriae tumultus, quos hujus progreſſus hiſtoriae explicabit. Haud ſecus Galli paullo ante Hiſpanias adorti loca aliquot occupaverant, tametſi Philippi Regis eorum interitus aliqua ex parte belli remiſiſſe fervorem videbatur (1). Roma ipſa inteſtinis civium diſſidijs diſtracta, et caedibus cruentata jam in eas rerum anguſtias adducta erat, ut remedij parum, quod ſatis eſſet, poſſet accipere; maxime tamen omnium Sultani in Aſia progreſſus, multas Chriſtianorum, easdemque praecipuas urbes cum magna ſtrage occupantis, piorum animos ſollicitabat.

His turbulentis temporibus Nicolaus Pontificatum maximum inijt, cum neque inter ipſos Cardinales contentiones deeſſent multae, dum aut à Principibus incitati, vel ab ijsdem retracti, ſuopteve ingenio diſſentientes, eorum temporum interregno, nunc ſex, modo octo menſibus, nonnunquam uno, atque etiam altero anno Pontificia vacare ſedes conſueſſet (2).

Saepe

(1) Confer hac de re Nicolaum Specialem *lib.* 2. *op. cit. cap.* 1. *et ſeq.* apud Muratorium, et Petrum de Marca *col.* 947. *et* 623. *ac ſeq.*

(2) De vi Cardinalibus in eligendo Pontifice a viris Principibus illata, de diſſenſionibus inter ipſos Cardi-

Saepe etiam alio, atque alio ſeſe eligendi cauſa Pontificis conferebant: tametſi de Conclavi Gregorius X. Pont. Max. in Concilio Lugdunenſi quattuordecim ante annis, ut occurreret tantae tarditati, legem promulgaſſet (1): cum ad eam diem ſolerent, non in conclave ſecedere, aut includi, ſed more conventus, aut Comitiorum, perinde quaſi in Senatum coacti Pontificem adlegere (2). Nam et eam legem Hadrianus V.

Cardinales, deque temporis ſpatio, quo ſeculo XIII. antequam Nicolaus IV. in Summum Pontificem eligeretur, Petri Sedes proprio paſtore vidua fuit, legatur Pagius *initio Vitarum Innocentii IV; Urbani IV; Gregorii X; Joannis XXI; Nicolai III; et Martini IV.*

(1) Conſtit. Gregoriana exſtat tum apud Labbeum *T. XIV. Hiſt. Concil. col.* 521. *ed. Coletianae*; tum *in Sexto Decretal. lib.* 1. *Tit.* 6. *de electoris, et ele. poteſt. fol.* 17. *ed. Lugdun.* 1544. Edita fuit in Concilio Lugdunenſi II. Seſſione V. pridie idus Julii anno 1274.

(2) Ita Panvinius *in adnot. ad vitam Gregorij X. a Platina perſcriptam pag.* 179. *ed.* 1572. Non ſemper vel ante Gregorianam Conſtit. in uſu id fuit; nam Clemente IV. defuncto Cardinales a Raynerio Gatto Pro-praefecto Viterbienſi, et Alberto *de Montebono*, qui Magiſtratum Viterbii gerebat in Conclave occluſos fuiſſe patet ex diplomate dato 6. idus Junii anno 1270., quod recitat Oldoinus *in Addit. ad Ciaconium in Gregorio X. T. II. col.* 182; & ex eo Pagius *in vita Gregorii X. n.* 2; hinc celeberrimus

V. (1) abrogaverat, et hanc abrogationem Joannes XXI. (2) probaverat. Quamobrem rejectis de Conclavi legibus Nicolaus Pontiſex Max. eſt factus, quemadmodum et Nicolaus Tertius, Martinus Quartus, et qui Nicolaum Quartum proxime anteceſſit, Honorius Quartus: tametſi eas poſtea Celeſtinus V. iisdem permotus cauſis, quae jam Gregorium X. impulerant, reſtituit (3), et Boni-

rimus Saxius *in adnotat. ad Sigonium de Regno Italiae lib.* 20. *T. II. opp. col.* 1076. *ed. novae* infert, Gregorium non inſtituiſſe, ſed tantum confirmaſſe Conclave.

(1) Conſule Jordanum *in Chronico cap.* 235. *col.* 1008. apud Muratorium T. *IV. Antiquitatum Ital. Medii aevi*.

(2) Lege Joannis litteras apud Raynaldum *ad ann.* 1276. *n.* 30; ac Ptolomaeum Lucenſem *l.* 23. *H. E. cap.* 21. *col.* 1176. Idem ipſe Raynaldus *ad an. cit. n.* 29. *et ad an.* 1289. *n.* 49. ex epiſtola 1. libri 2. Nicolai IV. tradit, hunc Pontificem non ſecus ac deceſſores ſuos Hadrianum, et Joannem Gregorianam Conſtit. abrogaſſe, ſed cum vir doctiſſimus memoratae epiſtolae verba non recitet, nec hujus abrogationis ullus habeatur ſermo in tribus Coeleſtini V. diplomatibus ab eodem Raynaldo *ad ann.* 1294 *num.* 17. *T. IV. pag.* 153. *et ſeq. ed. Lucenſ.* exhibitis, clariſſimus Pagius in *vita Nicolai IV. n.* 21. vehementer dubitat, quin id quod ſcribit Raynaldus falſum ſit.

(3) Conſule *tria bujus Pontif. diplom. ſupra laud.*, et Jacobum Stephaneſchium *in vita Coeleſtini l.* 3. *cap.* 2. *n.* 255. *T. IV. Maji Bollandiani pag.* 457., et apud Murat. *T. III. par.* 1. *S. R. I. pag.* 636.

Bonifacius VIIJ. in Sextum relatas, probavit (1), à Clemente deinde V. (2), et VJ. (3), ac ab alijs, ſed in primis à Pio Quarto (4) auctas.

Cum itaque ab Honorij Quarti obitu Apoſtolicum ſolium menſes decem, dies octo ſupra decem vacaſſet, Romae apud Sanctam Sabinam Nicolaus à Cardinalibus communi omnium conſenſu, et concordibus ſuffragijs octavo cal. Mart., qui dies ob Cathedram Apoſtolicam Antiochiae primum à S. Petro Apoſtolorum Principe locatam, ſolemnis, et feſtus habetur, anno à partu Virginis 1288. Summus Pontifex eſt renunciatus (5); et ita pars major auctores ſunt. Scri-

(1) V. *Sextum Decret. loco cit.*

(2) Hujus Pontif. Conſtit. exſtat *lib.* 1. *Clement. tit.* 3. *cap.* 2. *de elect. et electi poteſt. fol.* 8. *ed. Lugdun.* 1544.

(3) Confer ejus diploma apud Cherubinum *T.* 1. *Bullarij n.* 5. *pag.* 279. *ed.* 1692; apud Raynaldum *ad ann.* 1351. *num.* 39; et alios

(4) Anno 1562. initio menſis Octobris. Vide Raynaldum *ad eum ann. num.* 188.

(5) Hieronymo adhuc puero praenuntiatum fuerat ſe aliquando Petri cathedram aſcenſurum. In *Proceſſu* ſeculo XIII. vertente, vel ineunte ſequenti confecto pro B. Conrado O. M. Aſculi ex clara *Miliana* gente nato, cujus epitome exhibet Vvaddingus *T. V. Ann. Min. ad ann.* 1289. *n.* 27. *pag.* 213., *et ſeq. ed. Rom.* legitur, memoratum Conradum

Scribunt tamen plerique è recentioribus, Cardi-

dum a teneris unguiculis quotieſcumque in Hieronymum, quo ille utebatur familiariſſimè, incidebat, toties flexis genibus adoraſſe; interrogatumque quid hoc eſſet, reſpondiſſe, ſe ita eum venerari, quia in illius manibus *Claves Regni coelorum* conſpiciebat. Aſſumptus verò ad tantam dignitatem eſt communi Cardinalium conſenſione Romae, non quidem *in Eccleſia S. Petri*, quemadmodum tradit Henricus Stero *in Annalibus ad ann.* 1287. *pag.* 208. apud Caniſium *T. IV. Lection. Antiq. ed. Baſnag.*, ſed in monte Aventino, ut ſibi ipſe teſtis eſt *in epiſt. enciclyca ad Praeſules, et Principes* a Raynaldo *ad ann.* 1288. *n.* 3. *et ſeq.* publicata. Quod ſpectat ad electionis annum una Hiſtoricorum vox eſt. Quod verò ad diem attinet illorum quidam variant inter ſe; nam a Jacobo Auria *lib.* 10. *Annal. Genuenſ. ad ann.* 1288. *col.* 594. apud Murat. *T. VI. S. R. I.* electus dicitur octavo Calendas Aprilis; quo certè nihil magis falſum aſſeri poteſt, ut liquet *ex epiſt. enciclyc. laud.*, et ex litteris Nicolai ad P. *Cuſtodem* Coenobij Aſſiſienſis O. M. C. datis anno 1288. ſexto Kal. Martij, quae ſunt *in Hiſt. eiuſdem Coenobij l.* 2. *pag.* 38., ac ita incipiunt: *Suſcepimus nuper, licet immeriti, ſupernae diſpoſitionis arbitrio, prout jam famae praeambulae te credimus didiciſſe relatibus, curam, et regimen Eccleſiae generalis*. Fleurius *Hiſtoire Eccleſiaſtique liv.* 88. *n.* 46. *T. XVIII. pag.* 420. *ed.* 1723; Anonymus *du Hiſtoire des Papes T. III. pag.* 294., et alij ſcribunt, electum fuiſſe decimo quinto cal. Martij. His praeluxit Papebrochius *in Propilaeo par.* 2. *pag.* 64. *ed. Antuerp.*, ubi tradit die memorata communi ſuffragio Nicolaum electum, ſed ipſum poſt dies octo tantum electioni aſſenſum prae-

Cardinales ob Romanos Civium tumultus Peruſium profectos Nicolaum ibidem Pon-

praebuiſſe. Cur ego in hanc eam ſententiam, tres praeſertim ſunt rationes. I. Nicolaus apertè teſtatur *in encycl. laud.* ſe creatum fuiſſe Pontificem Dominica prima Quadrageſimae, quae anno 1288. cum die 15. menſis Februarii concurrebat; neque ulla cauſſa eſt, quamobrem proprio arbitratu pro *Dominica prima* ponatur *ſecunda*, uti fecerunt Raynaldus *ad ann. cit. num. 5.*, et Pagius *in vita Nicolai IV. n.* 3. II. Idem ipſe Nicolaus ait *ibidem* poſt electionem variis excuſationibus expoſitis, reluctatione, qua potuit obſtitiſſe, negaſſeque tantum ſuſcipere onus, ſed Cardinalibus ſuae *reſiſtentiae inſtantius* obviantibus morem tandem geſſiſſe. Confirmant idipſum Henricus Monacus Rebdorfienſis *in Annalib. ad ann.* 1313. apud Struvium *T. I. Scrip. Rerum German. pag.* 605., Joannes Vitoduranus *in Chronico* apud Ecchardum *Tomo I. Corporis Hiſtoriae medii aevi col.* 1761., Martinus *de Alvevvik* Minorita *in Floribus Temporum* apud Ecchardum *T. cit. col.* 1631., cujus haec ſunt verba: *Nicolaus* 4. *de Ordine Fratrum Minorum Doctor Theologiae ..... bis electus cum lacrymis reſignarat, tertiò compulſus ab omnibus Cardinalibus, tandem acquieſcens acceptavit.* Jam verò haec omnia non unius tantum, ſed plurium dierum ſpatio contigiſſe nemo non videt, probeque ſentit. Itaque cum octavo calend. Martii Pontificiis inſignibus ornatus fuerit, quemadmodum ſuo loco probabitur, eadem die eligi non potuit, ſed ante factum id eſſe dicendum eſt, proindeque die 15. Februarii. III. Bernardus Guidonis *in Vitis Rom. Pontiff. pag.* 612. apud Murat. *T. III. par. I. op. cit.* ita ſcribit: Nicolaus

electus

Pontificem Maximum creaviſſe (1). Verum id quamquam hactenus mihi ſatis non conſtat, tamen fieri neque difficillime potuit, propterea quod Pontificiam tamdiu

electus ad Pontificalem cathedram, eandem aſcendit in Feſto Cathedrae S. Petri. Iisdem verbis loquitur Auctor Anonymus *vitarum RR. PP.* apud Papebrochium *loco cit.*, et apud Murat. *T. cit. pag.* 613. Viden, Bernardum, et Anonymum aſſerere, Nicolaum die 22. Februarii cathedram aſcendiſſe, electum verò eadem die eſſe, non item? Nec opponatur mihi auctoritas *Memorialis Poteſtatum Rhegienſium* apud Murat. *T. VIII. op. indic. col.* 1171., Villanii *Hiſt. Florent. l. 7. cap.* 118. *col.* 317; aliorumque veterum Scriptorum, qui Nicolaum electum Pontificem aſſerunt die 22. menſis laudati; nam hi de electione, cui Nicolaus aſſenſus eſt, intelligi, quin illorum verbis vim ullam faciamus, commodè poſſunt.

(1) Tametſi ex auctoribus, quos Rubeus vocare *recentiores* potuit, legerim plures, tamen unum duntaxat deprehendi, qui Peruſii creatum eſſe ſcribat. Is eſt Abbas Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi ad ann.* 1288. *pag.* 201. *edit.* 1601. dicens: *poſteaquam Sedes Apoſtolica decem menſibus vacaſſet, Cardinales tandem Peruſii congregati Hieronymum S. Sabinae Preſbyterum Cardinalem Ordinis Fratrum Minorum in Papam elegerunt.* In eadem ſententia verſatur Jacobus Gorius *Storia di Chiuſi col.* 931. *T. 1. Continuation. Script. Rerum Ital.* Petrus Rodulphius *lib. 2. Hiſt. Seraph. Religion. fol.* 205., *et* Poſſevinus *Tom. II. App. Sac. pag.* 33. ad verbum *Hieronymus*, Reate Summum Pontificem electum fuiſſe ſcribunt. Sed errant longe, ut patet ex epiſtola encyclica paullo ante laudata, aliiſque antiquis Auctoribus.

vacaſſe ſedem pateat, quia Romani Coeli gravitatem, in monte praeſertim Aventino ad S. Sabinae, Cardinales metuebant (1); neque id injuria, quando primis diebus, quibus coiverant in Comitia, et in ſuffragium iverant, ſubito interitu multi Cardinales, iidemque praeſtantiſſimi diem ſuum obiere (2). Acceſſerant etiam maximi, et frequentes terraemotus, quibus in religionem fere verſis, Pontificis creandi cura vitae periculo, et animi magnis perturbationibus poſthabita eſt (3).

Nicolao nomen antea Hieronymo erat

(1) Ob hanc cauſſam teſte Anonymo S. Crucis *in Append. bujus Hiſt. n.* 4. Cardinales omnes montem Aventinum deſeruere, excepto Hieronymo, qui evaſit incolumis, *quia in profunda aeſtate ſemper habuit prunas copioſas in aula ſua, et in camera, et in aliis officinis*, ait Ptolomaeus Lucenſis *lib.* 24. *H. E. cap.* 20. *col.* 1194; cui accedit Martinus Fuldenſis *in Chronico* apud Ecchardum *T. I. op. cit. col.* 1718. Reverſi poſtea ſunt Cardinales hyemali tempore,

(2) Ptolomaeus Lucenſis *op. indic. cap.* 19. ita ſcribit „ multi Cardinales infirmati ſunt ibidem (*in* „ *monte Aventino*), et mortui circa ſex, vel ſeptem, „ inter quos fuit Dominus Jordanus de Urſinis, „ Dominus Comes de Mediolano, Dominus Ugo „ Anglicus, Dominus Gervaſius Andegavenſis, et „ Decanus Piſanus, et Dominus Anteis „

(3) Vide Bartholomaeum Platinam *in vita Honorii IV. in fine.*

nat (1), ſed ipſe Summorum Pontificum veterem morem imitatus (2) edoctorum à Chriſto Deo, qui Simonem Bar-Jonam Vicarium ſuum in terris conſtituturus, eum mutato nomine Petrum vocavit, et Hieronymi ſepoſuit nomen, et Nicolai ſumpſit (3). Aſculi natus eſt (4) Piceni urbe ſane quam

 nobili:

(1) Colligitur hoc tum ex ferè omnibus antiquis Scriptoribus, tum ex variis Pontificiis litteris, quas ſparſim in adnotationibus indicabo; quare vehementer errant Ptolomaeus Lucenſis *loco cit.*, *et in Annalibus* apud Murat. *T. XI. S. R. I. col.* 1296; Flavius Blondus *l.* 8. *Hiſt. Dec.* 2., et Jacobus Philippus Bergomenſis *in Supplem. Chronic. lib.* 13. *fol.* 317. *ed. ven.* 1503. eum vocantes *Joannem*; in primis verò Joannes Iperius, qui *in Chronico S. Bertini par.* 4. *col.* 765. apud Martene, et Durand *T. III. Theſau. Anecdot.* ait etiam ante Pontificiam dignitatem obtentam *Nicolaum* vocatum fuiſſe.

(2) Eorum ſcilicet, qui poſt Joannem XII. anno 956. electum vixerunt. Hic enim primus fuit, qui Summus Pontifex creatus nomen ſibi immutavit. Adeundi Baronius *ad eum. ann. num.* 4., et Mabillonius *Praefat. ad Secul. V. Benedict.* §. 1. *n.* 7.

(3) Cur Nicolai nomen ſumpſerit, narrat alio loco Rubeus, quod alii etiam Scriptores faciunt, uti videbimus.

(4) Legitur *in Proceſſu cit.*, Hieronymum *Liſani*, ſeu *Alexiani*, quod eſt oppidulum non multum ab Urbe Aſculana in Piceno ad *Truentum* fluvium poſita diſſitum, ortum eſſe; unde factum reor, ut vel ab antiquis Scriptoribus communiter natus Aſculi, ſeu Aſculanus dicatur. De Hieronymi patria

nobili: quamquam autem ejus fuit genus humile (1), neque ſatis adhuc notum, tamen

tria eadem ſententia eſt Rodulphii *l. cit.*, Poſſevini *loco ante laud.*, Oldoini *op. cit. col.* 227., Suareſii *l.* 2. *Praen. Antiq. cap* 13. *col.* 115. *in Theſ. Burmanniano T. VIII. par.* 4., quam ait ſe accepiſſe *ab Antonio Rota Canonico Eccleſiae Cathedralis* (Aſculanae) *viro ſolertiſſimo*; Vvaddingi tum *in Syllabo SS. O. M. pag.* 173., tum *in Annal. T. V. ad ann.* 1292. *n.* 8. *pag.* 295. *ed. Rom.*, ubi ſcribit, ſibi exploratam fuiſſe *ex vetuſtis monumentis Provinciae Marchiae, et accurato vitae eiuſdem Nicolai Scriptore fermè coaevo*. Non fuit ergo neque Romanus natione, ut inquit Nicolaus Trivettus *in Chronico ad ann* 1286. apud Dacherium *T. III. Spicilegii pag.* 210. *ed.* 1723., neque Tuſculanus, ut habet Sozomenus Piſtorienſis *in Chronico ad ann.* 1288. *col.* 196. *T.* 1. *Continuat. S. R. I.*, neque Aſculi Satriani, quod eſt Urbs Apuliae Dauniae in Regno Neapolitano ortus, quemadmodum litteris conſignavit Ciaconius *T. II. vitarum PP. et CC. col.* 258. *ed.* 1677. Nativitatis annus ab Hiſtoricorum nullo animadverſus eſt. At cum *ex Proceſſu laud.* pateat, coaetaneum B. Conrado fuiſſe, qui anno 1234. decimo quarto Kal. Octobris in lucem venit, ſequitur eo circiter anno etiam Hieronymum noſtrum ortum eſſe.

(1) Cum de Hieronymi genere, tum de illius parentis nomine variant inter ſe Scriptores. In *Proceſſu laud.* eius pater vocatur *Petrus* ex gente *Maſcia*. Ab Hermanno Cornero *in Chronico* apud Ecchardum *Tom. II. op. cit. col* 939. appellatur *Fabianus*. A Rodulphio *loco indic.* dicitur *Maſſius* e familia *Maſſia* vir quidem popularis, ſuo tamen genere clarus. De Hieronymi familia Rodulphium ſequuntur Oldoinus,

men et vitae probitate, et ſingulari doctri-
B 3 na,

nus, et Suareſius *l. cit.* A Spondano *in Continuat. An. Eccleſ. ad an.* 1288. *n.* 1., Ciaconio *in eius vita*, Vvaddingo *T. V. A. M. pag. cit;* et Cave *in Hiſt. Litter. ſec. Scholaſtico pag.* 652. *ed.* 1705. Hieronymi genitor *Arminilaus Tineus* nuncupatur. Panvinius *in Epit. Rom. Pontiſ. pag.* 181. *ed. Ven.* 1557. nec parentes, nec familiam nominat, ſed hanc humilem fuiſſe aſſerit, quod poſtremum placet etiam Ciaconio, et Oldoino. Anonymus Carthuſienſis, qui ſeculo XV. opus confecit *de Religionum Origine cap.* 31. *col.* 72. apud Martene, et Durand *T. VIII. Veter. monum.* parentes ejus inopia laboraſſe tradit his verbis: *de iſto mellifluo Ordine* (Minorum) *fuit Nicolaus Papa IV. antea Frater Hieronymus dictus. Inde ſuccreſcens et gradu, et merito factus eſt primo Generalis Ordinis, inde Cardinalis, poſtmodum Papa. De quo illud fertur memoria dignum, quod cum Mater pauper Romam ad videndum filium ad Papatus culmen evectum adveniſſet, et ab hoſpita honeſtis veſtibus mutuatis ante Papae conſpectum cum filia ſua adducta fuiſſet, noluit eam in tali pretioſo, ac mutuato habitu cognoſcere, dicens ſe non divitis, ſed pauperculae cujusdam matris filium* (hoc modo ſe geſſiſſe B. Benedictum XI. erga matrem Peruſium profectam, ut eum jam Pontificem videret, ſcribunt S. Antoninus *in Chronico par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 9, Albertus Krantius *lib.* 8. *Metropolis cap.* 46. *pag.* 224. *ed.* 1576., aliique plures; et Sixtum V. erga Sororem nomine *Camillam* narrat celeberrimus impoſtor Gregorius Leti *Vie du Pape Sixte V. T.* 1. *liv.* 5. *pag.* 413. *ed.* 1700.) . *Quo audito mox veſtes mutuatas abiecit, aſſumptiſque propriis vilibus, ac reſarcitis a Filio agnoſcitur, amplexatur, et deoſculatur, et ei-*

na, quibus excelluit, clariſſimus eſt habi-
tus

et eidem pro ſua, ac Sororis ſuſtentatione redditus ſatis tenues delegavit, non quibus diteſcerent, ſed tantum mendicitatem vitarent; ſacrilegum ducens de Chriſti patrimonio, quod pauperum fore conſtat ditare parentes. Volumus, inquit, eis ſic dare, ut non egeant, non tamen ut inde ſuperbiant. De parentum Hieronymi facultatibus, vel inopia diſputare nolo. Tantum aſſero genitorem eius vocatum *Petrum* e familia *Maſcia*, et hanc non omnino obſcuram fuiſſe. Ac primum quidem patet manifeſtè *ex Proceſſu cit.*, cui refragari ob eius antiquitatem hominis eſſet non veritatis, ſed contentionis amore ſcribentis. Accedit, quod ſeculo XVI. id tanquam exploratum habebatur; unde Sixtus V. *Comitem Maſcium* Patritium Aſculanum in Epiſcopum Veſtanum in Apulia ad Gargani montis radices anno 1589 elegit, quia ex Nicolai familia prognatus erat. Vide Ughellum *T. VII. Ital. Sac. in Ep. Veſt. n.* 32. *col.* 869; *edit. Colet.*, Comitiſque *Inſcriptionem* apud eundem *ibidem*, et apud Alverium *Roma in ogni ſtato par.* 2. *pag.* 16. Secundum, mea ſententia, non minus evidens eſt; nam in antiquis Reipublicae Genuenſis Annalibus *lib.* 10. *col.* 594. apud Muratorium *T. VI. S. R. I.* Hieronymus noſter natus dicitur ex *Patre Scriba*. Jam verò qui ad Scribae, ac Notarii munus per ea tempora aſſumebantur viri non vulgares erant, quemadmodum hiſtoriae medii aevi peritis compertum eſt. Deinde ab Auctore Anonymo *Memorial. Poteſt. Rhegiens. col.* 1171. apud Murat. *T. VIII. op. cit.*, cujus auctoritas facienda plurimi eſt, tum quia ſynchronus, tum quia Frater Minorita (ita opinatur idem Muratorius *in Praefatione*) erat, proindeque Hieronymi genus facilius,

tus (1). Jam inde à puero S. Franciſci
B 4 habi-

cilius quam quiſquis alius ſcire quibat, *Civis Eſculanus* vocatur. Fateor quidem vocem *Civis* quemcumque Urbis incolam ſignificare; at hic eum duntaxat praeſeferre, qui publicos Aſculanae Civitatis honores obtinere poterat, certa res eſt; ſiquidem *Liſani* ortum, et educatum fuiſſe Hieronymum liquet ex *Proceſſu alias cit.* Nec me ad aliter ſentiendum cogit, quod in eodem *Proceſſu* juvenculus ruſticanus appelletur; enim verò *ruſticus* non ſemper humilem agricolam ſignificat, ſed aliquando hominem ruri degentem ſonat, ſive nobilis, ſive ignobilis genere ille ſit. Itaque potuit Hieronymus noſter juvenculus ruſticanus vocari, etſi non obſcuris ortus parentibus, quemadmodum, ut cetera mittam exempla, Ubaldus, et Bonifacius Cives Florentini, cum nati extra Urbem eſſent, ruſtici dicuntur a Dante Aldigherio *Can.* 16. *Paradiſi*

. . . . . . et ſoſtener lo puzzo
Del villan d' Aguglion, di quel di Signa.

Vide Benvenutum Imolenſem *Comment. in Comoediam Dantis* apud Murat. *T. I. Antiquit. Ital. Medii aevi col.* 1278.

(1) Summa doctrina, inſignique morum probitate inclaruiſſe tum monimenta *in Append. n.* 7. *exhibenda*, tum ſequentia veterum Scriptorum teſtimonia ſatis oſtendunt. Villanius *l.* 7. *op. cit. cap.* 118. *col.* 317. de ipſo ait: *per ſua bontà, e ſcientia fu fatto Miniſtro Generale;* et *cap.* 150. *col.* 341. „fu „ buono huomo, e di ſanta vita„. A Franciſco Pipino *in Chronico cap.* 23. apud Muratorium *T. IX. S. R. I. col.* 727. dicitur *vir magna honeſtate, prudentia, et humilitate praeditus*. A Jordano *in Chronico cap.* 235. *col.* 1010. apud Murat. *T. IV. Antiq.*

habitum induit, religioſumque illius Inſtitu-

tiq. Ital. Medii aevi „ magnus litteratus, et valde „ Religioſus „. A Ptolomaeo Lucenſi *l.* 24. *H. E. cap.* 20. *col.* 1194. „ homo religioſus, et circa ſuos „ in nullo carnalis, amator ſuae Religionis, et aliarum „. Ab Anonymo S. Crucis *in Append. huius Vitae n.* 4. „ ſanctitate celebris „. A Martino Fuldenſi *in Chronico col.* 1718. apud Ecchardum *T. I. op. cit.* „ bonus Religioſus, et circa ſuos conſanguineos „ ...... Cardinalis amator ſuae Religionis, et a„ liarum, et in Pontificatu prudenter, et bene ſe „ geſſit „. A Leone Urbevetano *in Chronico Summorum PP. pag.* 336. apud doctiſſimum Lamium *in Deliciis Eruditorum* „ in divina pagina Magiſter, et „ Doctor eximius, vir vita laudabilis, ſanctitate fa„ moſus „. Joannes Dlugoſſus *in Hiſt. Polonica lib.* 7. *col.* 850. *ed.* 1711. eum appellat *virum Religioſum, et ab omni carnalitate in nepotes, et conſanguineos ſecretum.* S. Antoninus *in Chron. par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 6. *fol.* 63. *ed.* 1543. ait, plures dignitates obtinuiſſe *propter ſuam eminentem ſcientiam, et morum probitatem.* Idipſum confirmat Paulus Langius *in Chronico Citizenſi col.* 1188. apud Piſtorium *T. I. Script. Rerum German.* Ab eodem S. Antonino *loc. cit.* vocatur *rectus homo, et ſanctae converſationis.* A Vvernero Rolevvink *in Faſciculo Temporum ad an.* 1284. *pag.* 560. apud Piſtorium *T. II. op. cit.* „ bonus homo in ſe „. A Trithemio *de SS. EE. cap.* 510. *in Biblioth. Eccleſ. Fabriciana pag.* 125. „ vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, et in ſe„ cularibus litteris non infimè doctus, ingenio ſub„ tilis, et clarus eloquio, nec minus vita, et bo„ nitate, quam doctrina venerabilis „. A Jacobo Philippo Bergomenſi *in Supplem. Chronic. lib.* 13. *fol.*

322.

ſtitutum profeſſus eſt (2), eo potiſſimum tempo-

322. *ed.* 1503. „ vir quidem litterarum divinarum, „ humanarumque egregiè doctus...... ac praeter „ doctrinam multae bonitatis, ac integritatis Ponti- „ fex; omnes pariter amando „. Eodem modo loquitur Joannes Stella, cujus verba recitat, nec improbat Guillelmus Cave *loco cit. pag.* 653. Leander Albertius *Deſcrizione di tutta l' Italia fol.* 238. *ed.* 1550. inquit, Urbs Aſculana *partorì etiamdio Nicolò IV. Papa dell' Ordine de' Minori buomo dotto, prudente, e buono*. Gonzalez de Illeſcas *Hiſt. Pontiff. lib.* 5. *cap.* 47. *fol.* 340. ait, eum fuiſſe *hombre baxo, pero dotiſſimo, y de ſancta vida*. Recentiores Hiſtoricos cum propter doctrinam, tum maximè propter morum integritatem Nicolaum celebrantes omitto. Plus aequo fortaſſis longior in his teſtimoniis recenſendis fui, ſed operae pretium duxi ea ſingillatim referre, quo manifeſtius fiat, nimis iniurios Nicolao fuiſſe tum Magdeburgenſes, qui *Cent. XIII. cap. de Epiſcopis, et Doctor. pag.* 1010. *ed. Baſil.* aſſerunt, Pontificem noſtrum quaſi virum facinoroſum *conſcientiae ſtimulis* confectum obiiſſe; tum Heydeggerum *Hiſt. Papat. aetat.* 4., et Anonymum Hiſtoriae Pontificum Hagae - Comitum ſermone Gallico publicatae *T. III. pag.* 289., qui de crudelitatis, furoriſque crimine illum accuſant.

(1) *A pueritia Ordinem Minorum* ingreſſum eſſe ſcribit eorum temporum auctor Franciſcus Pipinus *loco cit.*, quod colligitur etiam *ex Proceſſu laud.*. Nicolaus *in epiſt. Encycl. alias cit.* inquit, ſe Deo inter Fratres Minores devoviſſe a ſuae *juventutis auſpiciis*. Tametſi juxta Varronem, et Jure conſultos incipiat juventus ab anno aetatis 30., Nicolaum tamen juventutem pro adoleſcentia ſumere, nemo, ut o-

tempore, quo vir ille Sanctus toto orbi, ſed ſui praeſertim Ordinis Fratribus cum anguſta vivendi lege clariſſimum, et maxime efficax exemplum ſanctitatis, et ſeveritatis vitae Chriſtianae parce, ac duriter actae reliquerat. In tanto igitur ſpiritus fervore, ſancto habitu illo indutus Hieronymus, ita profecit, ut brevi verus haberetur diſcipulus, filiuſque S. Francifci (1): quam ob rem cum per omnes gra-

dus

ut opinor, ibit inficias. Itaque 16. annis circiter natus Minorum Ordini nomen dedit. Vel a teneris unguiculis ſumma erga S. Franciſcum religione flagraſſe ſibi ipſe teſtis eſt in variis epiſtolis, quae ſunt *in Hiſt. Sacri Conventus Aſſiſienſis lib. 2. pag. 42., et ſeq.*, hinc toto vitae ſuae tempore et Minorum Ordinem, et maximè praefati Coenobii Eccleſiam mirum in modum dilexit, ad quam idcirco Pontifex factus plura munera miſit. Confer *eius litteras in Hiſt. cit. pag. 39. et 43.*

(1) Etiam a Panvinio *op. cit. pag.* 185. vocatur *S. Franciſci diſcipulus, et in converſione filius*. Panvinium ſequuti ſunt Ciaconius, Suareſius *locis indic.*, in primiſque Oldoinus *T. II. Addition. ad Ciaconium in Nicolao III. n. 8. pag. 227*; a quo praeterea dicitur Patriarchae Aſſiſienſi *intima familiaritate dum vixit coniunctus*: et fortaſſis etiam qui inſcriptiones appoſuit Nicolai *Reliquiis* in Baſilica Liberiana ſervatis. Sed hallucinati ſunt viri clariſſimi, cum anno 1226., quo S. Pater obiit, Hieronymus non modo Ordinem Minorum ingreſſus, ſed ne ortus quidem eſſet. Vide *Adnotat. ſuperiores, et ſequentem*.

dus (1) non minori ſcientiae, quàm probitatis opinione, laudeque ad Magiſtralem lauream aſcendiſſet (2), tandem magna omnium ejus

(1) Nam Fratrum Minorum Inſtitutum amplexatus, quantum coniectura aſſequor, medio circiter ſeculo XIII. in Coenobio Aſculano, miſſus primò eſt Aſſiſium, tum Peruſium ad ſcientias, bonaſque artes capeſſendas, deinde Romam, ubi plures annos eas docuit, ac verbi Dei praedicatoris munus exercuit *ex Proceſſu cit.*; fuitque *Lector non parvae literaturae*, quemadmodum ſcribunt Auctores Chronici Taurinenſis *in Append. huius Hiſt. n.* 5., et Chronici XXIV. Generalium *ibidem num.* 6.; ac *declamator praecipuus* teſte Bergomenſi *op. laud. fol.* 317. De ſua Aſſiſii manſione ipſe etiam ſermonem facit in litteris ad *Cuſtodem*, et Fratres Aſſiſienſes *in Hiſt. cit. l.* 2. *pag.* 42; in quibus ait, quod in Eccleſia S. Franciſci *devotas Altiſſimo laudes* obtulit, ſed cum dicat id egiſſe *in minori officio* conſtitutum, vereor ne ea verba ad tempus, quo Cardinalis, vel Miniſter Generalis erat, ſint referenda; nam tunc pariter Aſſiſii moratum eſſe, et Corpus S. Franciſci vidiſſe aſſeritur *in Hiſt. laud. l.* 1. *tit.* 42. *pag.* 67.

(2) Sacrae Theologiae inſignibus ornatum fuiſſe legitur in *Proceſſu memorato*, aperteque tradunt Martinus de Alvevvik, et Joannes Vitoduranus Fratres Minoritae, Leo Urbevetanus, Monachus Rebdorfienſis, Panvinius, Fleurius, et Anonymus Batavus *loc. ante cit.* Doctor creatus ſatis probabile eſt, tum Romae, tum aliis in locis alia praeter memorata geſſiſſe officia; nam Auctor Chronici XXIV. Generalium ſcribit: *Gregorius X. ad partes Graeciae deſtinavit viros providos, et probatos in offitiis*

ejus religioſi Inſtituti, ordinum approbatione Generalis Praefectus, ac potius, ut humili utar, ac ſancto eorum vocabulo, Miniſter declaratus eſt Lugduni anno 1274. (1) in Bonaventurae Fidantiae viri Sanctiſſimi juxta ac doctiſſimi locum ſubditus.

Nondum Hieronymus è Graeca Legatione reverterat miſſus à Pontifice Byzantium (2): in ipſo tamen pene medio, quod tunc

offitiis Ordinis, videlicet Fratrem Jeronimum de Eſculo &c., ſed qualia haec fuerint notum haud eſt. Illud conſtat anno 1272. Miniſtri Provincialis munus exercuiſſe. Vide Franciſcum Pipinum *loco cit.* Auctores Chronici laudati, ac Taurinenſis, Rodulphius *l. 2. Hiſt. Seraph. Relig. fol.* 205., Gonzaga *de Orig. Seraph. Relig. par.* 1. *pag.* 67. *ed.* 1603; et Vvaddingus *T. IV. A. M. ad an.* 1272. *n.* 3. *pag.* 345. narrant Provinciae Dalmatiae Miniſtrum fuiſſe, quorum poſtremus ait, hujuſmodi officium ei demandaſſe S. Bonaventuram in Comitiis Generalibus anno memorato in hoc Piſano noſtro Coenobio celebratis.

(1) Decimo tertio calendas Junias, Miniſtri Generalis onus *non abſque laborioſis inquietitudinibus* geſſit, ut ipſe ſcribit *in epiſt. Encycl. alias laud. n.* 3.

(2) Anno 1272. menſe Octobri ad finem properante, vel ineunte Novembri a Beato Gregorio X. legatus Conſtantinopolim eſt una cum aliis tribus Ordinis noſtri viris, nimirum Raymundo Berengario, Bonagratia *de S. Joanne in Perſiceto*, et Bonaventura Mugellano ad invitandos Imperatorem, et Patriarcham ab Concilium Lugdunenſe II; quod anno

tunc à Gregorio Decimo Pont. Max. habebatur Concilio, cum primioribus Graecorum Internunciis, exhauſtis egregie mandatis, confectoque ex ſententia omni negotio, cujus cauſa fuerat miſſus, pervenit (1). Quo factum eſt, ut ejus diligentia, et efficaci procuratione, Graeci ad obediendum Apoſtolicae Sedi tum denuo redierint (2).

Cum autem Hieronymi monitu (3), Grae-

anno 1274. die 7. menſis Maji incoeptum eſt. Legeſis Gregorii litteras apud Vvadding *ad eum an. n.* 4. *pag.* 346. *et ſeq.* Cum Hieronymus duobus ferè annis Conſtantinopoli fuerit, ingens mihi ineſt dubitatio, falſum eſſe, quod ajunt Vvaddingus *T. V. ad ann.* 1288. *n.* 9. *pag.* 172., et Pagius *in ejus vita n.* 9., hunc ſcilicet Dalmatiae Provinciam praeſentia ſua gubernaſſe, eaque occaſione Stephanum, et Uroſium Reges agnoviſſe.

(1) Octavo calendas Julias; ut liquet *ex Brevi Nota Concilii* apud Labbeum *T. XIV. Hiſt. Conciliorum col.* 503. *ed. Coleti*.

(2) Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi ad an.* 1271. *pag.* 149. *ed. cit.* ſcribit, quod in hac Synodo Michael Imperator *tertia decima vice in ſententiam Romanae Eccleſiae Graecos ſuos toties deficientes conſilio neceſſario pertraxit*.

(3) Is enim de Graecorum acceſſione ad Concilium litteras dederat Gregorio, quas hic accepit in eodem Concilio ſub menſis Maji exitum. Conſule *Brevem Notam cit. col.* 502. Falſum eſt autem poſt Hieronymi tantum litteras decreviſſe Gregorium

Graecos ad Concilium adire ſpes (1) percrebuiſſet, Pontifex ſingulari virum doctrina, qui et veritatem tueri, docereque, et errores illorum convellere poſſet, adhibiturus, Divum Thomam Aquinatem Ordinis Dominicani divino ingenio virum, ac eruditione incredibili accivit. Is tum Neapoli in Fratrum ſuorum Conventu morabatur, acceptoque Pontificis Nuncio, ut obtemperaret, dedit ſe ſtatim in viam: vix autem pervenerat ad Foſſae novae Coenobium Ciſtercienſis Ordinis, duobus paſſuum millibus Priverno (2) procul, cum oppreſſus febre, paucis poſt diebus, annos natus quinquaginta in coelum abiit (3), iis clarus

rium S. Thomam Lugdunum ducere, uti Rubeus ſentire videtur; nam multos menſes priuſquam Hieronymi litteras acciperet Pontifex Angelicum Doctorem acciverat. Tunc igitur dicendum eſt Gregorium id ſtatuiſſe, cum longe ante epiſtolam de eadem re ad ipſum miſiſſet Imperator, quae eſt apud Labbeum *T. cit. col.* 492.

(1) *Spes* non eſt in exemplari, ſed meo arbitratu addidi.

(2) Italice *Piperno*, oppidum Volſcorum in Latio poſitum prope Ufentem fluvium, et Pomptinas paludes.

(3) Anno 1274. nonis Martii, cum annum aetatis ſuae 50. inchoaſſet, obiit S. Thomas. In iis, qui illius parentalibus adfuerunt recenſetur a Guilelmo de Thoco *in vita S. T. cap.* 10. *n.* 63 *pag.* 678. *T. I.*

clarus miraculis, quibus etiam vivus inclaruerat ; quamobrem tota ejus negocii moles in Divum Bonaventuram verſa eſt, qui ob id ex Franciſcanae familiae Generali item Miniſtro in Cardinalium collegium à Gregorio X. in eodem Lugdunenſi Concilio (1) cooptatus eſt.

In

678. *T. I. Martii Bollandiani* „ Reverendus Pater „ Dominus Franciſcus Epiſcopus Terracinenſis Ordinis Fratrum Minorum cum pluribus de ſuo Ordine „

(1) De tempore, quo S. Bonaventura in S. R. E. Cardinalium Senatum numeratus eſt, cum Rubeo ſentiunt Panvinius, Ciaconius, Octavianus a Martinis, Sigonius, Juveninus, et alii ſexcenti. Verum anno 1273. ſub diem feſtum *Pentecoſtes* S. Doctorem cohoneſtatum tanta dignitate fuiſſe probat Vvaddingus *T. IV. ad eum ann. n. 11. pag.* 379., quem ſequitur Pagius *in vita Gregorii X. n.* 24. Bartholomaeus Piſanus *lib. 1. Conformit. &c. fructu 11. part. 2. fol.* 108. *ed. cit.* ſcribit, pileum rubrum accepiſſe in Coenobio italicè *del Boſco*, quod eſt in agro Mugellano in Etruria: *in hoc etiam loco*, inquit, *fuit Beatus Franciſcus, et Frater Bonaventura Cardinalis noſter primus ibidem Cappellum recepit*. Eadem eſt opinio Vvaddingi *loco cit. n.* 12., ac ita fert traditio judice cl. Brocchio *Deſcrizione della Provincia del Mugello pag.* 61., ubi poſteaquam dixit praefati Coenobii Eccleſiam in praeſentia vocari *San Bonaventura*, ſubjungit: *forſe perchè in detto Convento egli abitò, eſſendoci tradizione, che in eſſo il medeſimo riceveſſe la nuova dell' eſſere ſtato promoſſo al Cardinalato dal Sommo Pontefice*

Digitized by Google

In eo Concilio ex Graecorum Proceribus quadraginta Sedi Apoſtolicae praeſtitiſſe obſequium dicuntur (1); Graecorumque Imperator Michael in Eccleſiae Catholicae ſententiam diſceſſit, et S. Romanae Eccleſiae Principatum agnovit, ſeſeque illi humiliter, ac demiſſe ſubdidit (2). Quamobrem cum ſolemnia Sacra operan-

tefice Gregorio X. nell' anno MCCLXXIII., *dicendoſi in oltre, che eſſendogli preſentato il Cappello Cardinalizio, non curandoſi egli (come Santo, che era) di tal dignità, l' attaccaſſe ad un albero chiamato Corniolo*. Haec ſi vera ſunt ſatis oſtendunt cum maximam S. Bonaventurae humilitatem, tum aeſtimationem, in qua fuit apud Gregorium, qui ei pileum rubrum miſit, etſi Romani Pontifices difficilimè ad Cardinales abſentes vel iis temporibus mittere illum ſolerent. Vide *Ordinem Romanum Jacobi Cajetani* apud Mabillonium *T. II. Muſaei Italici pag.* 433.

(1) A S. Antonino *op. cit. par.* 3. *tit.* 24. *cap.* 9. §. 7. *fol.* 204. Quantum ex Hiſtoricis, qui de Concilio Lugdunenſi *II.* egerunt (nam Epiſcoporum ſubſcriptiones deſiderantur) colligi poteſt tot Graecorum Proceres eidem non adfuerunt, ſed ferè omnes Metropolitani cum proprio, tum ſuorum Epiſcoporum nomine Concilii decreta probarunt per litteras, quas vide *T. cit. H. Concil. col.* 513., et apud Vvaddingum *T. IV. ad ann.* 1274. *n.* 4. *pag.* 392.

(2) Non quidem in Concilio, cui ipſe non interfuit, ut ut aſſerant Sigonius *de Regno Italiae lib.* 20. *T. II. opp. col.* 1076. *ed. novae*, Blondus,

perante Pontifice peragerentur, ipſi Graecorum Internuncii et adfuerunt, et ſymbolum erudito concentu pronunciarunt, et ex Patre, Filioque Spiritum Sanctum procedere profeſſi ſunt, et pacem una cum ceteris Chriſtifidelibus acceperunt, atque per hunc modum totius nomine Graeciae Pontifici Maximo Chriſti Dei in terris Vicario omnium arbitro, et moderatori ſeſe ſubjicientes cum Eccleſia Cattolica in gratiam rediere, et illius de integro communioni reſtituti ſunt: idque ea ſinceritate, et conſtantia (1), ut ipſis Byzantium regreſſis, Joſephus ſeptimum jam annum ejus Urbis Patriarcha haereticus de dignitate dejectus, et in ejus locum Joannes Vechus ſuffectus fuerit. (2): Interfectis etiam, et demerſis

dus, Platina, Trithemius, et alii plures, ſed per epiſtolas, et Legatos. Conſule *T. cit. H. Concil. col. laud*; et Pagium *in vita Gregorii X. num.* 26.

(1) Graecorum ſinceritas, atque conſtantia non multum duravit; enim verò anno 1281. vel ipſe Imperator Michael Palaeologus ab Eccleſiae Romanae ſocietate defecerat; unde a Martino IV. anno laudato excommunicatus eſt. Confer Pontificis litteras apud Eberhardum Altahenſem *in Annalibus ad ann.* 1274. *pag.* 217. *T. IV. Lectionum Antiq. Caniſii ed. Baſnag.*, apud Raynaldum, et alios.

(2) De Joſephi e Patriarchali Sede dejectione, et Joannis Vechi in ejus locum electione conſulantur

merſis compluribus Epiſcopis, Abbatibuſque, (1), qui ſtare ejus Generalis Concilii decretis nolebant.

In eodem Concilio adfuere, et ſacra baptiſmatis unda abluti ſunt Tartarorum Legati (2): Ii autem Scythae ſunt, non è Sarmatiae ſolum finibus, ſed ad extremos fere Sinas pertinentes (3). Adduxerat hos quoque Hieronymus (4), eo majori ſua, Fran-

tur Lequienus *T. I. Orient. Chriſtiani col.* 289. *ſeq.*, et Cuperus *in Hiſt. Patriarch. Cp. n.* 109. *pag.* 165. *et ſeq.* exſt. *initio T. I. menſis Auguſti Bollandiani*.

(1) Graecos, qui concordiae cum Eccleſia Romana conſtitutae ſtare noluerunt, excommunicationis poena affectos fuiſſe a Joanne Vecho in Synodo Cp. anno 1277. celebrata patet ex epiſtola encyclica, quae eſt *T. XIV. H. Concil. col.* 594; eorum plures ob eandem rationem in carcerem conjectos, in exilium pulſos, aliiſque tormentis vexatos ab Imperatore aſſerit Pachimeres *l.* 5. *Hiſt. cap.* 19., *et ſeq. pag.* 219. *T. XIII. Hiſt. Byzantinae ed. Venetae*. At occiſos multos, et demerſos etiam fuiſſe nunquam apud graves auctores legi.

(2) Poſtridie idus Julii; non quidem omnes, ſed unus eorum tantum a Petro Epiſcopo Oſtienſi, qui poſtea fuit Summus Pontifex nomine Innocentii V. Conſule *Brevem Notam laud. col.* 506.

(3) Nam Lugdunum acceſſerunt ex *Tartaria* majori, quae Scythia, et etiam Sarmatia Aſiatica vocatur, quaeque uſque ad Imperium Sinenſe porrigitur. Confer Baudrandium *T. II. Lex. Geograph.* ad v. *Tartaria*.

(4) Ita Chronicon XXIV. Generalium, S. Antoninus

Franciſcanique Inſtituti gloria, quo Tartari tunc bello admodum clari, et potentia, et opibus affluentes, egregia militari laude, Pannonios, Myſoſque (1) vexaverant, et nuper Babylonios ad ducenta millia cum ingenti ipſorum caede fuderant, fugaverantque.

Quoniam vero Pontificis juſſu Articulorum quorundam cauſa, denuo profe-

C 2 ſturus

toninus *loco cit*; Marcus Ulyſipponenſis *in Chron. O. Min. par. 2. lib. 4. cap. 1.*, Vvaddingus *ad an. 1274. n. 6. pag. 393*; quod legitur etiam in inſcriptione, quam Nicolai IV. ſepulchro incidi curavit Sixtus V. Mihi tamen magna ineſt dubitatio, quin contra ac veritas poſtulat tràditum hoc ſit; nam Hieronymus una cum Graecorum Legatis Lugdunum pervenit 8. calend. Julias; Tartarorum Legati 4. nonas Julii. V. *Brevem Notam cit. col.* 503.; deinde ex Gregorii litteris, quas memoravi, aliiſque gravibus Auctoribus conſtat, eundem Hieronymum miſſum fuiſſe Conſtantinopolim, ibique duos fermè annos manſiſſe, ad Tartaros verò non item, etſi hoc poſterorum memoriae mandarunt Joannes Rioche *in Comp. Temporum, et Hiſtor. Eccleſ. cap. 82. fol. 372.*, et Morerius *T. XII. Magni Dict. Hiſtor.* ad verbum *Nicolas IV.*

(1) De vexatione Pannoniae, Myſiae, aliiſque finitimis regionibus ſeculo XIII. a Tartaris illata, legantur Michovius *in Deſcriptione Sarmatiae Aſianae lib. 1. cap. 3*; Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica *lib. 7. pag. 691. et ſequent.*, Bonfinius *Rerum Hungar. Dec. 2. lib. 8. pag. 304.*, atque Sbaralea *in Adnotat. ad Bullam 343. Gregorii IX. in Bullario Franciſcano pag. 297.*

cturus erat in Graeciam (1) Hieronymus, intereſſeque ob eam rem Comitiis Generalibus non potuit (2), quae Patavii habita ſunt, ad illa B nagratiam miſit Vicarium ſuum, qui et illi in Generali Praefectura deinde ſuc-

(1) Ita S. Antoninus *loco cit*; et Auctor Chronici laudati, qui poſteaquam ſcripſit Summum Pontificem decreviſſe eò iterum illum mittere, ſubjungit: *utrum tamen iverit non inveni*. Profectum revera non eſſe ex eo patet, quod anno 1277., ad quem legatio haec eſſet referenda, una cum Joanne Vercellenſi Magiſtro Generali O. P., poſtmodum Patriarcha Hieroſolymitano miſſus eſt in Galliam ad lites inter Hiſpaniae, Galliaeque Reges componendas. Conſule Nicolai III. litteras apud Vvaddingum *in Reg. Pontif. T. V. n.* 1. *pag.* 437. Conſtantinopolim verò, ut Imperatorem in reconciliatione cum Eccleſia Latina magis confirmarent, legati ſunt quatuor Fratres Minoritae, ſcilicet Bartholomaeus Epiſcopus Groſſetanus, Bartholomaeus Senenſis Provinciae Syriae Miniſter, Philippus Peruſinus, et Angelus Urbevetanus, non quidem anno ſupra memorato, ſed anno ſequenti. Adeundus Vvaddingus *ad ann.* 1278. *n.* 21. *pag.* 48.

(2) Tametſi non niſi ſub exitum anni 1277. juſſu Nicolai III. Galliam adiit, nihilo tamen minus Comitiis Generalibus Patavinis menſe Majo celebratis adeſſe nequivit; eo enim tempore Romae morari coactus eſt a Joanne XXI., qui Legatos ſuos ad praefatos Reges mittere animo verſabatur, licet ob mortem, quae menſe laudato ei accidit, propria cogitata executioni mandare non potuit. Lege Vvaddingum *ad eum ann. n.* 5. *pag.* 15.

ſucceſſit (1): ſcriptis ad Fratres ſuos, qui illuc convenerant, literis, quibus vacationem ejus muneris petebat, et abdicabat ſe illo Magiſtratu, quando nec viribus, nec intelligentia tanto oneri ſufficeret, et Reipublicae Chriſtianae negotiis aſſidue diſtringeretur (2). Eae literae cum eſſent lectae in Comitiis, tamen prorogata illi eſt à Patribus Praefectura, in qua ab Joanne Cajetano (3) Cardinale Ordinis patrono rogatus, ut ſacris Divae Clarae Virginibus, Fratres ſuos adeſſe, et rerum Divinarum

(1) Anno ſcilicet 1279. in Comitiis Aſſiſienſibus licet abſens, quibus praefuit Hieronymus jam Cardinalis. Porrò hic Bonagratia ille eſt, qui ſocius Hieronymo fuit in itinere Cp. Natus eſt in oppido S. Joannis *in Perſiceto* in Æmilia, non verò in Dalmatia, uti ſcribunt Rioche *loco cit.*, et Auctor operis falſò inſcripti *Apologia per l' Ordine de' Frati Minori T. III. lib.* 12. *ſec.* 1. *cap.* 4. n. 4. Ab antiquo ſcriptore Bartholomaeo Piſano *op. cit. par.* 2. *fructu* 8. *fol.* 96. *ed.* 1590. dicitur *morum Sanctitate, et vitae integritate inſignis, toto Ordini ejus, atque ſermonis dulcedine populis cunctis gratiſſimus*. Vide etiam Chronicum XXIV. Generalium *in Append. n.* 6., et S. Antoninum *cap. laud.* § 8.

(2) Conſule Chronicum citatum, S. Antoninum *loco indic.* § 7., Marcum Ulyſipponenſem, Vvaddingum, et alios.

(3) E gente Urſina titulo S. Nicolai *in carcere Tulliano*, qui anno 1277. Summus Pontifex electus eſt nomine Nicolai III.; Ordinis verò noſtri Protector anno 1263.

cultu obſequi vellet; neque vero id quaſi debito munere, ſed rem gratam ut Cardinali faceret; Ipſe primo maxime renuit, mox cum tanto Cardinali Ordinis amantiſſimo (1) reſiſti nec poſſe, nec debere intelligeret, quamquam fuit univerſis Patribus in primis grave, aſſenſit, ita tamen ut Sacrae Virgines omnes, earumque Praefecta, tabulis publicis teſtatum facerent à Franciſcanis Patribus, id nullo debito officii jure, ſed una Dei cauſa fieri (2).

His

(1) Summo amore Ordinem FF. Minorum proſequutum eſſe patet ex verbis, quae ipſe dixit Matthaeo Rubeo Cardinali, dum illum ſucceſſorem ſui in Ordine noſtro gubernando conſtitueret: *damus tibi quod te in Paradiſum inducat, merita ſcilicet Sanctorum Fratrum Ordinis bujus: damus tibi melius, quod babemus: damus tibi deſiderium cordis noſtri, et pupillam oculorum noſtrorum*. Recitantur haec verba a Jordano *in Chronico cap.* 235. apud Muratorium *T. IV. Antiq. Ital. Medii Aevi col.* 1009.

(2) Chronicon XXIV. Generalium, S. Antoninus *loco laud.*, et Hoſpinianus *de Origine Monachatus lib. 6. pag.* 434. *ed. Genevae* 1669. haec ſtatuta fuiſſe in Comiitis Patavinis antea memoratis narrant. At errant longè; nam ex pluribus certiſſimis monimentis apud Vvaddingum *ad ann.* 1264. *n.* 4. *pag.* 230. *et ſeq.* conſtat in Comitiis Piſis anno 1263. Ordinem moderante S. Bonaventura celebratis decretum a Patribus eſſe Monialium S. Clarae regimen deferere, quamquam poſtea hortante Joanne Cardinali Urſino, Generalis Miniſter indulſit, ut FF.

Mino-

His, aliiſque optimis artibus Magiſtratum Hieronymus dum gereret, increbeſce-

Minores eas gubernarent, hac tamen lege, ut ad id faciendum cogi ab ipſis Monialibus nullo pacto poſſent. Quandoquidem de Monialibus, S. Bonaventura, Piſaniſque Comitiis mentio facta eſt, liceat mihi nunc primò in lucem emittere ejuſdem S. Bonaventurae litteras, quas ipſe dum anno 1272. Generalia Comitia ſecundò Piſis haberet dedit *Cuſtodi, & Guardiano* Fratrum Minorum. Servantur in charta pergamena ſcriptae, et quidem Seraphici Doctoris manu (ita ſaltem fert traditio, quam ſeculi XIII. characteres, quibus exaratae ſunt mirum in modum confirmant) in aliarum *Reliquiarum* ad noſtram Eccleſiam ſpectantium repoſitario, earumque autographum ut exſcribere poſſem benignè annuit etiam humaniſſimus aequè, ac nobiliſſimus vir Camillus Maraccius Patricius Piſanus Coenobii, et Eccleſiae S. Franciſci Ædituus, ob multas praeſertim expenſas in utroque reficiendo, ornandoque de Ordine noſtro optimè meritus. Memoratae litterae ſunt hujuſmodi:

„ In Chriſto ſibi cariſſimis Fratribus Cuſtodi,
„ et Guardiano Piſarum, Frater Bonaventura Or-
„ dinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis, et
„ Servus ſalutem, et pacem in Domino ſempiter-
„ nam „

„ Sororibus Monaſterii de Piſis Ordinis San-
„ ctae Clarae ob animarum ſuarum ſalutem facere
„ volens gratiam ſpecialem, infraſcripta per vos a
„ Fratribus ad hoc idoneis exhiberi concedo, vi-
„ delicet, quod in Feſto omnium Sanctorum, nec
„ non Sanctae Clarae, et quando aliqua Sororum
„ dicti Monaſterii de praeſente luce migraverit,

retque in dies virtutis ejus, Franciſcanaeque familiae Sanctitatis opinio, Rodulphus Caeſar

„ illuc ſex Fratres idoneos, computato Confeſſore
„ ipſarum, et Socio, tranſmittatis cauſa praedi-
„ cationis, et officii celebrandi; ita duntaxat, quod
„ earum Confeſſor, et Socius in praedictarum exe-
„ quiis defunctarum ingrediatur ſolummodo Mona-
„ ſterium memoratum. Quando tamen familiares,
„ ſeu converſos earum infirmari, vel mori contige-
„ rit praedicti Confeſſor, et Socius illuc accedant
„ pro exequiis, et Sacramentis neceſſariis miniſtran-
„ dis. Concedo quoque, quod ab Adventu uſque
„ ad Nativitatem Domini Confeſſor Dominarum,
„ et Socius apud locum dicti Monaſterii pro Di-
„ vinorum Officiorum celebratione continuè commo-
„ rentur. Sane in feſto Nativitatis Dominicae,
„ et in tota maiori hebdomada duos Fratres ido-
„ neos Confeſſori, et Socio adjungatis ibidem
„ praefatis temporibus, et in Nativitatis Domi-
„ ni, Reſurrectionis, et Pentecoſtes ſolemniis, et
„ pro eorum Octavis pro Divinis celebrandis Offi-
„ ciis moraturos. Concedo verò ut gravi periculo
„ praefato Monaſterio imminente, et pro neceſſa-
„ riis conſiliis exhibendis mittatis illuc Fratres
„ providos, et diſcretos, qui etiam morari poſſint
„ ibidem ad neceſſarium ſubſidium, et juvamen
„ tempore praefati periculi ipſis Sororibus im-
„ pendendum. His inſuper Magiſtri lignorum,
„ et lapidum poſſint praedictum Monaſterium in-
„ gredi pro deſignandis, et faciendis operibus op-
„ portunis. Supradicta omnia, tu Cuſtos, ſi praeſens
„ fueris, et tu Guardiane abſente Cuſtode ſecun-
„ dum praelibatam formam per Fratres ad haec i-
„ doneos faciatis memoratis Sororibus exhiberi. Va-
„ lete

Caeſar filiam Divae Clarae Virginibus religioſo S. Franciſci Inſtituto vitam ſancte degentibus dicavit, perpetuoquè addixit (1). Cum autem dies, noctesque Hieronymus in ea ſublimi ſui Ordinis ſtatione, et quaſi ſpecula ad continendos in officio Patres, et peſtem inde abigendam accurate ſtude-

„ lete in Domino, et orate pro me. Data Piſis „ XVII. Kalend. Junii anno Domini MCCLXXII. Quiſquis non ignorat, Monialium *Clariſſarum* S. Martini *in Kinſicha* Coenobium fundatum anno 1331. fuiſſe, quemadmodum *in Append. Monument. Sardiniae Sacrae n. 2. pag. 293. in notis* oſtendi, ſtatim intelligit, de iis Monialibus loqui Bonaventuram, quae primo morabantur in Monaſterio omnium Sanctorum *de Ripa Arni Piſani*, ut patet ex litteris Gregorii IX. *T. I. Bullarii Franciſ. num. 175. pag.* 167., deinde ſub finem ſeculi XIV. in Coenobio *S. Viti*, tandem *noviſſimè ad noſtram S. Laurentii Eccleſiam translatae ſunt, ut Navalis Armamentarii Artificibus locum cederent*, inquit celeberrimus Grandius *in notis ad monum. 8. in fine epiſt. de Pandectis pag.* 157.

(1) Ita Bartholomaeus Piſanus *lib. 1. Conformit. fructu 8. par. 4. fol.* 106., Chronicum laudatum, ac S. Antoninus *par. 3. tit. 24. cap. 9. §. 7. fol.* 204. Vir doctiſſimus Sbaralea dubitare videtur; a me enim rogatus hac de re ſic reſpondit: *quanto al nome della Figlia di Rodolfo Imperatore nol trovo appreſſo veruno: ho letto il Eyzenger nel ſuo Teſoro de' Prencipi, ove porta, che Rodolfo ebbe ſei Figlie, ma tutte maritate, e neſſuna ha, che foſſe Monaca; negli Annali pure del Vvaddingo non vi trovo queſta Figlia dell' Imperatore, che ſi faceſſe Chiareſſa.*

ſtuderet multorum ſuae familiae Patrum conſilio Rogerii Bacchonis Britanni Theologiae Magiſtri doctrinam improbavit, damnavitque, quod novitates quaſdam, quibus deinde Rogerius in cuſtodia (1) habitus eſt, contineret, doctis, ac piis viris ſuſpectas; acri praeterea edicto cavit, ne quis ex ſuis, ſuive Ordinis Fratribus eam doctrinam teneret, ac potius perinde ac ab univerſa Franciſcanorum Fratrum Republica improbatam rejiceret. Quae ut majori auctoritate niterentur, ſcriptis ad Pontificem Maximum Nicolaum Tertium literis, eum de tota re fecit certiorem.

Miſſus (2) etiam eſt una cum egregio Ordinis Dominicani Patre ad Gallorum, et Caſtulonenſium Reges, qui plurimum diſſentiebant, invicem conciliandos: qua opportu-

(1) De viro praeſtantiſſimo Rogerio Baccono, de illius doctrinae damnatione, et in carcerem conjectione, quae anno 1278. Oxonii accidit juſſu Nicolai III., quo tempore Hieronymus in Gallia verſabatur, pluribus diſſerunt praeter Vvaddingum, Caſimirus Oudinus *T. III. de Script. et Scriptis Eccleſ. ſec.* 13. *col.* 191., et Caveus *in Hiſt. Litter. ſec. ſcholaſt. pag.* 648. Conſule etiam Chronicon XXIV. Generalium, et S. Antoninum *loco cit.*

(2) Vide, quae de hujuſmodi legatione diximus *pag.* 36. *adnotat.* 1. Cauſſam diſſenſionis inter Galliae, Hiſpaniaeque Reges tradit ex Mariana, et Surita Vvaddingus *ad ann.* 1277. *n.* 5. *pag.* 15.

portunitate ambo ducti cum eſſent Pariſiis ſeſe ad componendas contentiones, ac lites dederunt, quibus ob invidentiam Dominicani, Franciſcanique Fratres inter ſe nonnunquam diſſentire, magna populorum offenſione, videbantur. Itaque viris prudentiſſimis utriuſque Ordinis in conſilium adhibitis, reque per ſummam concordiam diligenter acta, certae latae leges ſunt, quibus in poſterum inter eos conveniret, paxque ſervaretur integra, et patria Sanctorum, qui Ordines inſtituerunt Virorum aleretur, augereturque caritas. In iis fuere, ut mutuis obtrectationibus, contentionibuſque omnino abſtinerent, ubique officiis inter ſe certarent, ſe invicem hoſpitio, ut fratres amanter acciperent, inter ſe amarent, ſinceram ſine offenſione amicitiam retinerent. Si quid unquam privatim inter homines ipſos, aut eorum conventus publice oriretur aut dubii, aut contentionis, id omne Provinciales Praefecti noſcerent, et qui alterum laederet in eum animadverterent. Has ſcriptas, promulgataſque leges, ut ſervarentur accuratius ad omnes utriuſque familiae domos deferendas curarunt (1). Neque

(1) Quae de contentionibus Praedicatores inter, et Franciſcanos ortis, perque ſuos principes Mode-

que viros prudentiſſimos fefellit opinio; quando ad hanc diem optime ſervatas, inſignis inter eas familias, perpetuaque benevolentia praeclare teſtatur: quod vel noſtrae aetatis exemplo ſatis conſtat, qua ex Dominicano Ordine Pius Quintus Pont. Max., idemque Sanctiſſimus Felicem Perettum Franciſcani Inſtituti virum doctrina, ac morum innocentia praeſtantiſſimum Epiſcopum primo fecit, mox in Cardinalium Collegium cooptavit (1). Is autem Pontifex Max. factus, et Sixtus Quintus vocatus univerſae Reipublicae Chriſtianae negotiis ſumma cum auctoritate Michaelem Bonellum (2) Alexandrinum Cardinalem Dominicani Ordinis ſingulari integritate virum praefecit, et quaſi ſuſtinendi oneris ſocium aſcivit.

Cum

Moderatores ſedatis narrat Rubeus, accepit ex S. Antonino *loco cit. fol.* 205. Hic verò exſcripſit ex Chronico XXIV. Generalium. Hieronymus in Gallia exiſtens proſcripſit etiam quosdam Tractatus *de Beata Virgine* a Petro Joanne Olivi in oppido *Sirignano* dioeceſis Biterrenſis nato compoſitos, qui novas complectebantur opiniones. Conſule Vvaddingum *ad ann.* 1278. *n.* 28.

(1) In Eccleſiae S. Agatae Epiſcopum conſecratus eſt pridie idus Januarii anno 1567., *Cardinalatum* verò obtinuit anno 1570. decimo ſexto calendas Junii.

(2) De quo videatur Oldoinus *in Acceſſ. ad Ciaconium T. III. n. 1. in Pio V. col.* 1029.

Digitized by Google

Cum itaque Hieronymus ad eos Reges Legatus abeſſet, majore quotidie prudentiae, probitatiſque opinione apud omnes de ſe excitata, à Nicolao Tertio Pont. Max., cui fuit antea nomen Joanni Cajetano ex nobili Urſinorum gente, anno 1278. menſe Decembri (1) Romae Cardinalis Sacer-

(1) Decimoquinto Calendas Januarias creatum fuiſſe Cardinalem ſentit etiam Panvinius *in Epit. Rom. Pontiff. pag.* 179. Jam verò id falſum eſt; nam Ptolomaeus Lucenſis *l.* 23. *H. E. cap.* 26. *col.* 1179; et Bernardus Guidonis *in vita Nicolai III.* apud Muratorium *T. III. par.* 1. *S. R. I. pag.* 606. ſcribunt, hunc Pontificem Cardinales creaſſe anno ſui Pontificatus primo; at menſis Decembris anni 1278. cum anno ſecundo concurrebat, quippe quia ſeptimo calendas Decembris anni 1277. in Summum Pontificem electus fuerat. Deinde ex Nicolai litteris apud Oldoinum *T. II. op. cit. col.* 228., et apud Vvaddingum *ad ann.* 1278. *n.* 22. conſtat hoc anno ante diem 23. menſis Aprilis Cardinalem jam fuiſſe Hieronymum. Eruditiſſimus Pagius *in vita Nicolai III. num.* 20. opinatur Cardinalis dignitatem obtinuiſſe quarto idus Martii. Tametſi hoc dicit nullo gravi monumento fretus, ſed levi duntaxat conjectura ductus, rem tamen ipſam attingit, quod ego duorum Scriptorum iis temporibus florentium auctoritate demonſtro. Guido de Corvaria *in Fragmentis Hiſtoriae Piſanae* apud Muratorium *T. XXIV. op. cit. col.* 686. ita ſcribit: *die Sabbati*, 12. *die Martii ſupraſcriptus Papa Nicolaus IV.* (legatur III.) *fecit Cardinales novem, ſcilicet Dominum Jordanum germanum ſuum .... et Miniſtrum Generalem Fratrum*

Sacerdos renunciatus eſt titulo S. Pudentianae, quem et Potentianae vocant adjecto (1), qui titulus eſt omnium qui extant

trum Minorum &c. Auctor verò *Memorialis Poteſtatum Rhegienſium* apud eundem Murat. *T. VIII. op. laud. col.* 1141.: Nicolaus III. *anno* 1. *Pontificatus ſui, ideſt* 1278. *in menſe Martii, electus Papa, die quatuor temporum in majori Quadrageſima in Feſto S. Gregorii Papae fecit novem Cardinales ..... duos fecit Cardinales ex Ordine Fratrum Minorum, ſcilicet Fratrem Hieronymum de Marchia Anconitana Generalem Miniſtrum, et Fratrem Benintendi Epiſcopum Tudertinum amicum ſuum.* Ciaconius, cui ſubſcribit Suareſius *lib.* 2. *Praeneſtes Antiquae cap.* 13. *col.* 115. *T. VIII. par.* 4. *Theſ. Burmanniani* ait, Hieronymum Patriarcham Hieroſolymitanum extitiſſe priuſquam Cardinalis crearetur, ſed cum nihil hac de re legatur in litteris paullo ante memoratis, nihil in epiſtola encyclica, ubi idem ipſe Nicolaus IV. omnes honores, ac dignitates ante Pontificatum a ſe obtentas numerat, nihil in litteris apud Raynaldum *ad ann.* 1288. *n.* 41., in quibus recenſentur omnes Patriarchae, qui ab Gregorii X. temporibus ad annum uſque memoratum Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernarunt, non dubito, quin Ciaconius, et Suareſius in errorem lapſi ſint.

(1) Titulum hunc ei datum fuiſſe non modo ex antiquis Scriptoribus, verum etiam ex Nicolai III. litteris patet, quibus Pontifex Hieronymum jam Cardinalem anno 1278. menſe Julio Legatum ad Rodulphum Imperatorem conſtituit. Exſt. apud Vvaddingum *T. V. in Reg. Pontif. num.* 35. *pag.* 478. Itaque errant vehementer Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi pag.* 201., Poſſevinus *T. II. Apparata-*

tant vetuſtiſſimus (1): idque eo majore Pontificis ſtudio, voluptateque, quo clariſſimum illum, ac Sacroſanctum Senatum ad ſeptem tantum Cardinales, cum ipſe Pontifex factus eſt redactum, non minus augere Patrum numero, quam variis virtutum luminibus illuſtrare, ſagaci delectu nitebatur; addictuſque plurimum erat, et nonnihil etiam debere ſe religioſo illi Inſtituto intelligebat. Nam parvulum adhuc, et plane infantem S. Franciſcus ſinu acceptum, dulciſſimeque complexum ſaepe diſſuaviatus eſt, Pontificemque, et magnum ſui Ordinis Patronum futurum divino inſtinctu pronunciavit. Venerat tum S. Franciſcus apud Matthaeum Joannis patrem domi ſuae pranſurus, qui deinde Matthaeus S. Franciſci habitum Tertii Ordinis induit (2).

Quo-

paratus Sac. pag. 491. *ed.* 1606., Caveus *op. cit. pag.* 648., Joannes Rioche *loco ante laud.*, et Auctor *vitae huius Pontificis* apud Labbeum *T. XIV. op. indic. col.* 1161., qui Presbyterum Cardinalem S. Sabinae fuiſſe ſcribunt.

(1) De Tituli S. Pudentianae antiquitate videatur Panvinius *in Libro de praecipuis Urbis Romae, Sanctioribuſque Baſilicis &c. pag.* 265. *ed. Rom.* 1570.

(2) Jordanus *op. cit. col.* 1009. haec habet: *cum eſſet puer* (Nicolaus), *Pater ejus, qui erat de Tertio Ordine, cum B. Franciſco obtulit*: *et B. Franciſcus*

Quoniam vero Pontifex ſuis de Cardinalatu ad Hieronymum literis (1) juſſerat, ut perinde ac Cardinalis Legatus ſtipendium a ſacratis viris reciperet; Hieronymus Chriſtiana permotus animi demiſſione, nec ſtipem coegit, et Pontifici per literas eam dignitatem etiam, atque etiam quam accuratiſſime renunciavit: negans ineſſe ſibi, aut peritiae, aut virium; quod ſatis eſſet ad id muneris: cum enim Cardinalium conſenſu (2) univerſalis Eccleſiae adminiſtratio penes Pontificem Romanum nitatur, viderique ob id nefas poſſet, iis virtutum inſignibus Cardinales non ornari, ea vivendi diſciplina carere, quae oculos in ſe omnium merito con-

ciſcus ait, quod non eſſet Frater habitu, ſed futurus defenſor Ordinis ſui, et tandem Dominus mundi. Conſule etiam Chronicum Taurinenſe *in Append. n. 5.*

(1) Has litteras ſe vidiſſe teſtatur Vvaddingus *ad ann.* 1278. *n.* 22. *pag.* 48.

(2) Incultus quidam Poeta, qui ſeculo Eccleſiae 13. vixit, ita loquitur apud Mabillonium *in Analectis pag.* 374. *v.* 733. de ratione, qua iis temporibus Eccleſia per Cardinales gubernabatur,

„ Et quamquam ſuperet Papae prudentia Fratres,
„ Unus, ut ex illis, eſt tamen inter eos
„ Nil proprio facit arbitrio, licet omnia poſſit;
„ Conſilium prudens ſaepe minoris habet.
„ Sufficiat quamvis immenſo providus Orbi,
„ Vult tamen externo dogmate Papa regi. (alto
„ Atque ita dum reſidet, Mundumque gubernat ab
„ Et numerus Fratrum cingit utrimque Virum.

to convertant; ipſum nihil horum in ſe agnoſcere, plurimum potius inde abeſſe, demum nulla tantae luci proportione reſpondere: quod ſi forte poſſet Pontifex, qui ſatis recte eum intus non noſcat aliquas ejus eſſe virtutes, quae plane nullae ſunt, exiſtimare, opinione longe falli: nihil in eo ineſſe, quod vel longo intervallo tantae dignitati ſatis eſſe queat: quando nihil eſſet Eccleſiae Dei neceſſarium magis, quam eam curam, quae ab ipſo, ob ſuſceptas Pontificii muneris partes univerſae Eccleſiae debetur, in eo defigere, ut viri ad id oneris idonei in Apoſtolicum Senatum adlegerentur, et Paſtores Eccleſiis apti praeficerentur. Petere (1) tandem, ut acciperet excuſationem ſuam cum ſuperioribus temporibus alii, in quibus Petrus Damiani Ravennas fuit, concedentibus Pontificibus, eo ſe magiſtratu, ac dignitate abdicaverint.

His ſcriptis literis dum expectat reſponſum à Pontifice, nec augere familiam, nec aliqua in re vitae ſtatum, ordinemve immutare (2); ac potius, quia literis

(1) Videatur Sanctus Antoninus *loco cit.*, & Chronicum XXIV. Generalium *in App. n. 6.*

(2) Chron. laudatum haec habet: *nec aliam familiam*

ris (1) erat Pontificiis inſcriptum: *Fratri Hieronymo S. R. E. tituli S. Potentianae Presbytero Cardinali, olim Generali Ordinis Minorum*, haeſitare, utrum ne Prefecturae Generalis obire munus poſſet. Verum haud ita diu poſt certior à Pontifice eſt factus: nam cum accipere Hieronymi excuſationem nollet, quin magis animatus ad ſubvehendum illum, ornandumque eſſet, juſſit Cardinalatus onus, honoremque ut ſubiret, et tanquam Generalis Praefectus Ordini moderaretur ſuo (2). Quod tandem, ne pertinacior haberetur, fecit Hieronymus ſumma diligentia uſque dum Comitiis Generalibus Aſſiſii habitis, illi ſucceſſor (3) in ea Praefectura Generali datus eſt; qui temporis curſu ab eo die, quo primum Lugduni iniit Magiſtratum, annorum quinque ſpatium tulit.

Cardinalis factus, nec ullam, qua prodeſſe Ordini Franciſcano ſuo poſſet, occaſionem

miliam interim recipere voluit, vel a Clericis ſtipendia, nec ſtatum mutare in aliquo, donec a Domino Papa litteram habuit, & reſponſum. Conſule etiam hac de re Sanctum Antoninum *loco indic.*

(1) Quas recitat ipſe Vvaddingus *ibidem*.

(2) Vide Pontificis litteras apud eundem *ad ann. cit. pag. 49.*

(3) Anno 1279. Eius ſucceſſor fuit Bonagratia, de quo legantur quae narravimus *pag. 37. adnotat. 1.*

Digitized by Google

ſionem praetermittere, nec demiſsionem animi Chriſtiana modeſtia praeclare compoſiti intermittere, ſed maxima omnium laude perpetuo tenore eam ſervare, ſic ut prudentia comitante demiſſus idem, graviſque uno tempore videretur, auctoritatemque, et decus ſacrae Purpurae comitate egregie condiret; tametſi ſaepe numero admodum tamen modeſte, ac temperate fateretur inter Franciſcanae ſuae familiae coquos cenſeri ſe, quam in Cardinalium collegium cooptari maluiſſe; et niſi Ordinis offenſam (1) metuiſſet, ea ſe purpurei galeri dignitate abiturum fuiſſe, cujus tamen conatum omnem in ejusdem familiae utilitatem eſſet paraturus, ac meditaturus. Quod et praeſtitit, cum multis in rebus, tum in eo maxime, quod una

 cum

(1) S. Antoninus *loc. indic.* ita ſcribit „Cardinalis effectus humilitatis gloriam, quae prius in eo relucebat ita prudenter ſervavit, ut miro modo communiter, et humiliter ageret, et honorem nihilominus dignitatis maturitate honeſtiſſima retineret. Confeſſus eſt ſaepè multum tamen ſobriè, ſed certo, ut dicebat, ſermone, quod potius vellet coquinam Fratribus facere, quam Cardinalatus faſtigio praeminere; ſeque aliter obſtaturum fuiſſe gradui illi, niſi offenſam Ordinis timuiſſet „. Vide etiam Chronicum XXIV. Generalium, ex quo totidem verbis haec exſcripſit S. Antoninus.

cum Nicolao ipſo Tertio Pont. Max., et Bentivegna (1) Tudertino Cardinale ejuſdem etiam Franciſcani Inſtituti jam Fratre, Suriani (2) cum eſſent, aeſtate duobus fere perpetuis menſibus, maxima omnium admiratione, qui aſſiduum Pontificis in ea re ſtudium intuebantur; ad explicandam vivendi regulam à S. Franciſco editam, ut pugnacia quorundam ingenia, et mordaces linguae cohiberentur, incubuit (3). Demortuo Nicolao Tertio (4), Martinus Quar-

(1) Qui creatus eſt una cum Hieronymo noſtro, anno ſcilicet 1278. quarto idus Martii, obiitque 7. calendas Aprilis anno 1289. Conſule Oldoinum *T. cit. col.* 223.

(2) *Surianus* Mons diſtat a Viterbio ſeptem milliariis, ubi mortuus eſt Nicolaus III.

(3) Regulae Fratrum Minorum declaratio facta eſt a Nicolao III. anno 1279., quam cum probarint viri ſacrae Theologiae, Juriſque Canonici peritiſſimi, uti narrant S. Antoninus, Chronicum laudatum, ac Taurinenſe, Michael Angelus Neapolitanus *T. I. Chronologiae Hiſtorico-Legalis Seraph. Ordinis pag.* 31. *ſeq*, Vvaddingus, Marcus Ulyſipponenſis, et alii, per ſummam iniuriam Hoſpinianus *de Origine Monachatus lib. 6. cap. 11. pag.* 411. Pontificem damnat, quaſi auctoritatis ſuae limites exceſſerit. Nicolai hac de re litterae datae *Siriani*, ſeu potius *Suriani* 18. Kal. Septembris exſtant *in Sexto Decret. l.* 5. de verborum ſignificat. *tit.* 12. *cap.* 3. *fol.* 157., *et ſeq. ed. alias cit.*

(4) Anno 1280. undecimo cal. Septembris.

Quartus illi ſuffectus (1), Hieronymum et plurimi fecit, et, ut ſcribit Panvinius (2), Praeneſtino Epiſcopatu, qui inter ſex illos numeratur, quorum fuit ſemper magna apud Pontificem Maximum praerogativa, auxit. Divus Antoninus (3) tamen auctor eſt, Epiſcopatum Praeneſtinum ab Nicolao Tertio Hieronymum accepiſſe.

Hoc loco dignitatis erat Hieronymus, cum Pontifex Max. renunciatus eſt (4): et Nicolai Tertii memor (5), qui Cardinalem illum fecerat, eodem Nicolai nomine ap-

 pellari

(1) Anno ſequenti octavo cal. Martii.

(2) *In Epit. Pontiff. Roman. pag.* 181. *et* 186. *ed. cit.*

(3) *Loco ſupra cit.* „ exiſtens ergo (Hieronymus) in legatione praedicta per Nicolaum III. „ factus eſt Presbyter Cardinalis, deinde Epiſcopus „ Praeneſtinus „. S. Antoninus haec ex Chron. XXIV. General. accepit. Verum Jordanus *op. cit. col.* 1013., ac Anonymus *in vita Martini IV.* apud Murat. *T. III. par.* 1. *S. R. J. pag.* 609., et apud Papebrochium *in Propyl. par.* 2. *pag.* 61. ſcribunt in Epiſcopum Praeneſtinum electum fuiſſe a Martino IV., anno 1281. decimo calendas Aprilis, ut eſt litteris conſignatum ab Ughello *T. I. Ital. Sac. col.* 212.

(4) Vide *adnotat. pag.* 15. *& ſeq.*

(5) Ob hanc cauſſam Hieronymum Nicolai nomen aſſumpſiſſe docent etiam Panvinius *op. cit. pag.* 185., Ciaconius *in ejus vita*, Spondanus *ad an.* 1288. *n.* 1., et alii non pauci.

pellari Quartum voluit. Biduo (1) poſt, ut ali-

(1) Qua die Corona inſignitus fuerit Nicolaus variae ſunt Scriptorum ſententiae. Panvinius *loco cit.* inquit ſexto calendas Martii Coronam accepiſſe. Idem ſcribit Papebrochius *loco indic.*, ſed cum annus 1288. intercalaris eſſet, ac proinde bis *ſexto calendas* diceretur, per ea verba diem 25. menſis Februarii intellexit, non autem 24., quemadmodum intellexiſſe videntur Spondanus *loco laud.*, et alii, qui poſt duos ab electione, et conſenſione dies Pontificiis ornamentis eum inſignitum dixerunt. Ego die 22. ejuſdem menſis, qui *Dominicalis* erat coronatum exiſtimo; id enim colligitur ex Joanne Iperio *in Chron. S. Bertini col.* 765. apud Martene, et Durand *T. III. Theſau. Anecdot.* dicente: *hic ſtatim ut electus eſt; coronatus eſt*; quae licet de Honorio dicat, nihilo ſecius integrum textum legenti ad Nicolaum referre ea voluiſſe manifeſtè patet. Deinde Romanorum Pontificum, qui jam Epiſcopi erant, benedictio, et coronatio fieri ſemper conſuevit die Dominico, vel ſaltem Feſto; igitur Nicolaus die 22., vel 25. menſis laudati, cum qua Feſtum S. Matthiae concurrebat, Corona ornari potuit; at ejus coronationem ad diem 25. dilatam non fuiſſe ex eo liquet, quod Epiſtola encyclica alias memorata data dicatur 7. cal. Martii, ſeu die 23. Februarii: hanc autem ſcripſiſſe Nicolaum juxta morem deceſſorum ſuorum poſt inſignia Pontificia accepta ne ipſe quid m Papebrochius inficiatur. Cur verò pro 7. *calendas* legendum ſit 6., ut idem ipſe Papebrochius exiſtimat, ſane non video. Opinionem, quam ego tueor, amplectuntur etiam Pagius *in ejus vita n.* 2., Cocquelines *T. III. par.* 2. *Novi Bullarii Romani*, et alii recentiores.

aliqui tradunt, in ſacra Aede Divi Petri Romae è Gothifredi Cardinalis S. Geor-

D 4 gii

tiores. De Cardinali, qui Nicolai capiti Coronam impoſuit, ſentit cum Rubeo noſtro Panvinius *loco cit.* At verius ait Ciaconius *in ejus vita col.* 256. Cardinalem, qui Nicolaum Corona inſignivit fuiſſe Matthaeum Urſinum titulo S. Mariae *in Porticu* S. R. E. Archidiaconum; nam Gothifredus *de Alatro* anno antequam Nicolaus in Romanum Pontificem eligeretur, obierat. Vide Auguſtinum Oldoinum *opere alias cit. in Urbano IV. num.* 8. *col.* 160. Pater Franciſcus Maria Angelius *in Hiſtoria Sacri Conventus Aſſiſienſis l.* 2. *pag.* 38. ait, Nicolaum inter cetera dona, quae ipſe factus Pontifex memorati Coenobii Eccleſiae dedit, *Pluviale, quo Coronationis ſuſcepit inſignia* miſiſſe. Equidem Nicolaus in litteris, quas ſcripſit ad P. *Cuſtodem* Aſſiſienſem poſt duos a *Coronatione* dies, ſic loquitur: *In ſignum igitur dilectionis ....., et evidens ſpecialis reverentiae argumentum, quam ad praefatam Eccleſiam, et eundem Beatiſſimum Confeſſorem habuimus, et habemus, ac etiam habere proponimus in futurum nonnulla diverſi coloris paramenta Pontificalia ſerica, vaſa argentea, certam ſummam pecuniae, ac quaedam alia in Cedula praeſentibus intercluſa diſtinctè, planè, ac ſeriatim expreſſa, quae ante noſtrae promotionis auſpicia facultates noſtrae paupertatis habebant, eidem Eccleſiae donamus, atque concedimus de gratia ſpeciali, eaque ipſi Eccleſiae per dilectum filium Magiſtrum Petrum de Sora Clericum, et familiarem noſtrum latorem praeſentium mittimus.* Verum tantum abeſt, ut ex his verbis colligi merito poſſit, *paramenta Pontificalia* Aſſiſium a Nicolao miſſa ea fuiſſe, quibus ille uſus eſt cum Sum-

mi

Digitized by Google

gii Archidiaconi manu triplicem Pontificiae majeſtatis Coronam ſolemni cerimonia capite accepit (1). Mox ad Pontificatus curam, ſubeundaque Reipublicae Chriſtianae onera con-

mi Pontificis inſignia acciperet ut potius erudiamur, fuiſſe diverſa, ea ſcilicet, quae adhibebat, quo tempore Epiſcopus Praeneſtinus erat.

(1) Si Rubeus duplicem Coronam accepiſſe Nicolaum dixiſſet; tolerabilior eſſet ipſius opinio; nam etſi plerique omnes Scriptores exiſtimant Bonifacium VIII. omnium primum Tiaram duplici Corona circumdatam adhibuiſſe; alii tamen morem hunc antiquiorem eſſe volunt, quod referente Benzone Epiſcopo Albienſi auctore ſynchrono *in Panegyrico in Henricum IV. lib. 7. cap. 2. pag.* 1063. apud Menckenium *T. I. SS. Rerum German.* Hildebrandus in Synodo Romae anno 1059. celebrata Coronam Nicolao impoſuerit, in cuius inferiori circulo ita legebatur: *Corona Regni de manu Dei;* in altero verò ſic: *Diadema Imperii de manu Petri.* At cum aſſerat Tiaram accepiſſe triplici Corona, nullo pacto eius ferri poteſt ſententia, cum exploratum ſit eandem Tiaram ante ſeculum XIV. in uſu non fuiſſe. Nicolaus Alemannus *de Lateranenſibus Parietinis cap.* 13. *pag.* 48. apud Burmannum *T. VIII. par.* 4. *Theſ. Antiq., et Hiſt. Italiae*, Pagius *in vita Bonifacii VIII. n.* 35., Ciaconius, Papebrochius, et alii opinantur, Urbanum V. primò Tiara ornata triplici Corona uſum eſſe. Sed vir eruditiſſimus Comes Garampius Baſilicae Vaticanae Canonicus in opere, cui titulus: *Illuſtrazione di un' antico Sigillo della Garfagnana cap.* 3. *pag.* 94. *ſeq.* demoſtrat, etiam Clementem V., et alios, qui huic ſucceſſerunt, ac Urbanum V. praeceſſere ſimilem Tiaram adhibuiſſe.

Digitized by Google

ra converſus, nihil potius duxit, quam ut diuturnas componeret Neapolis, Siciliaeque Regum inter ſe contentiones, Carolumque Secundum Salerni, vel ut alii ſcribunt Tarenti Principem, qui uti ſupra (1) memoravimus, in cuſtodia habebatur ab Alphonſo Jacobi Siciliae Regis Fratre, liberaret. Itaque cum adhuc Romae eſſet Idibus Martii Internuncios cum mandatis miſit (2), qui ad Alphonſum adirent, cum illoque de Carolo è cuſtodia educendo nomine ſuo agerent, edicerentque ne Jacobo fratri, aliiſve ad turbandum Siciliae Regnum, aut ſuppetias praeberet, aut ratione quapiam faveret. Fuere Internuncii viri graviſſimi tres Bonifacius è Lavania Dominicani Ordinis Archiepiſcopus Ravennas vir magno rerum uſu, et prudentia ſingulari: Petrus Archiepiſcopus Montis Regalis, et Raynerius (3) Viterbienſis ex eadem Dominicana

(1) *Pag. 9.*

(2) Vide Pontificis litteras apud Lunigium *T. IV. Codicis Diplom. Italiae n. 15. pag. 439. edit. ſecundae*, et Dumontium *in Corpore Univerſ. Diplom. Juris Gentium T. I. par. 1. n. 501. pag. 266.*, aliosque.

(3) De Boniſacio Genuenſi e gente Fliſca *Lavaniae* Domina agit Ughellius *T. II. It. Sac. in Arch. Ravenn. n. 86.* De Petro cognomento *Gerra* patria Ferentino mentionem facit Pirrus *T. I. Siciliae*

cana familia, qui cum in viam ſe jam dediſſent, Nicolaus, qui die, noctuque aſſidue rem hanc magni ad id, quod inſtituerat momenti, animo ſecum reputabat, nequaquam iis contentus, quae juſſerat, nova ad illos mandata mittit, quibus erat ſcriptum, diligenter in memoriam Alphonſo revocarent, quam eius Pater Petrus, abjecta prorſus, dum vixit, quae Deo, et Apoſtolicae ſedi debentur obſervantia, et cultu, in propriae ſalutis jacturam adverſus Romanam Eccleſiam matrem, et magiſtram omnium fidelium, molitus eſſet, et quas turbas moviſſet occupanda Inſula Sicilia, et quae ejuſdem Eccleſiae juris eſt, cetera parte Regni Siculi, quas Carolus primus fiduciario jure ab eadem Eccleſia jam habuiſſet (1). Quo-

ciliae Sac. in not. Eccleſ. Montis - Regal. n. 9. pag. 463. Quamquam hi auctores narrant, laudatos Praeſules ad Aragoniae Regem miſſos ab Honorio IV. fuiſſe, nihil tamen dicunt de illorum legatione ad eundem juſſu Nicolai IV. At Nicolaum revera Bonifacium, et Petrum una cum Raynerio O. P. ad Alphonſum miſiſſe patet ex litteris, quas *in Append. n. 1., et ſequent.* publicabimus.

(1) Carolus Comes Andegavenſis anno 1265. quarto calendas Junii *inveſtituram* Siciliae, ac totius Neapolitani Regni, excepta Urbe Beneventana, a Clemente IV. accepit. Conſule Raynaldum *ad eum ann. num.* 14. *et ſeq.* At Petrus Aragoniae Rex-

Quoniam vero Alphonſus ipſe, et Jacobus, Conſtantiaque inſulam occupabant, ceteram partem oppugnabant, idcirco Alphonſo Regi diem dicerent, quo ſe ante ſex menſes Pontifici Max. ſiſteret, alioqui humanarum legum, divinarumque in eum judicio ageretur, et quando Alphonſum ipſum Regem tuto ſe minime convenire poſſe intelligerent, dabat eis Nicolaus quamquam eis antea mandaverat, domi ſuae ut illum ipſum adhiberent, tamen ut illum in jus vocarent, diemque illi apud ſacratos viros Gergobienſes dicerent.

Haec omnia in literis (1) Nicolai, quas nos legimus habentur, quibus acceptis diligentioribus mandatis, magna ſpes omnibus facta eſt, fore ut res ex ſententia conficeretur, cum propter eorum virtutem, tum quia Dominicani Fratres, ex quibus duo

in iis

Rex anno 1282. poſt occiſa duarum horarum ſpatio octo Gallorum millia, ut alias diximus, totum Siciliae Regnum invaſit; hinc Martinus IV. eundem deferere illud nolentem, ſententia excommunicationis affecit, Aragoniae Regno, Catalauniae, et Valentiae Principatibus privavit. Lege Martini litteras apud Raynaldum *ad ann. cit. n.* 23., *et ad ann. ſeq. n.* 15.

(1) Quae ſcriptae ſunt 4. cal. Aprilis, quaeque a nobis primò in lucem emittentur *in Append. n.* 3.

in iis erant, ita ad Pontificum Maximorum ſenſum, propenſionemque incenſi videbantur, atque ob eam rem ita ad utriuſque Caroli partes ſequendas, ut ſuperiore anno dum Auguſtam Aragonii Siciliae oppidum, quod paulo ante una cum arce Galli coeperant, ingreſſi eſſent, et per vicos praeliarentur, ſeſe etiam in Aragonios Dominicani Fratres numero tredecim pugnae cum Gallis, qui eruperant ex arce, immiſcuerint. Itaque cum recenti ſuccedente Aragoniis ſubſidio, Galli, cumque ipſis Dominicani recipere ſe in arcem tandem cogerentur, ex iis cum ſex tantum receptus in arcem patuiſſet, excluſi reliqui ad quinque interfecti ſunt, duo capti (1).

Dum igitur horum Internunciorum ad Alphonſum profectio in expectatione eſt, innarde-

(1) Thomas Fazellus *de Rebus Siculis Decade* 2. *lib.* 9. *cap.* 2. *col.* 574. *in Theſ. Burmanniano Vol. IV.* „Dominicani, *inquit*, et ipſi dum ad ar„cem ſalutem ſibi quaerunt ſex tantum in arcem „incolumes evaſerunt, quinque ab hoſtibus cae„ſis, duobus verò captis: quorum alter Capuanus „ad Rogerium (*Lauriam Jacobi Regis Ducem*) „perductus ingentem propediem Gallorum claſſem „Neapoli expectari, aliaque id genus hoſtium con„ſilia aperuit„ Conſule etiam hac de re Bartholomaeum *de Neocaſtro* auctorem ſynchronum *Hiſt. Sicula cap.* 110. *col.* 1132. apud Murat. *T. XIII. S. R. I.*

ardeſcerentque in dies magis, magiſque, multiplicatis quotidie caedibus, inteſtina bella Romae, et in tanto impetu flammae difficile admodum reſtingui incendium poſſet, ne, quod fieri conſuevit, Principis praeſentia in majorem peccandi impunitatem ab improbis adduceretur, in Sabinos Reate (1), quae urbs Italiae umbilicus putatur, Nicolaus diſceſſit, iis nunquam praetermiſſis remediorum generibus, quae facerent ad ſedandas contentiones (2).

In

(1) Reate, quod eſt Civitas ad Velinum flumen media ferè inter Narniam, et Aquilam, diſſitaque ab Urbe quadraginta milliariis, initio menſis Maji probabiliter adiit. Certè quidem ibi erat 2. idus ejusdem menſis, ut patet ex litteris apud Vvaddingum *T. V. in Reg. Pontif. n.* 13.

(2) Non modo ad ſedandas contentiones inter viros Principes ortas, ſed etiam ad Religionem catholicam propagandam, eamdemque, et jura Eccleſiaſtica ſarta tecta ſervanda diligenter incubuit Nicolaus anno ſui Pontificatus primo tum Romae, tum Reate moram trahens. In Urbe manens ad Argonem Regem, Tuctanem, et Eleagem Tartarorum Reginas quarto nonas Aprilis litteras dedit, quibus alterum ad citò ſuſcipiendum Chriſti baptiſma, alteras ad perſeverantiam in Religione Catholica, quam paullò antè amplexatae fuerant, hortabatur. Scripſit etiam ob eandem rationem ad plures eiusdem Regni Epiſcopos, et ad Fratres Minores ibidem morantes, ut non minorem adhiberent diligentiam in Rege, aliiſque confirmandis in

vera

Digitized by Google

In Flaminia, neque etiam omnia ſatis quieta erant, praeſertim Arimini, quae Civi-

vera fide, quam in iis ad illam adducendis adhibuerant; quod cum praeſtitiſſent, quammulti Tartari Jeſum Chriſtum colere coeperunt. Pontificis hac de re litteras praeter Moshemium, et Raynaldum, exhibet Vvaddingus *T. V. ad an.* 1288. *n.* 4. *pag.* 170. *et ſeq.* Reate cum eſſet decimo Kal. Auguſti, ac ſexto idus ejusdem menſis litteras miſit ad Stephanum, et Uroſium Sclavorum Reges, eorumque Matrem Elenam, quò filiis ſuis catholica inſtituta, quae illa ſectabatur, inſtillaret; utque facilius res e voto cederet, miſit ad laudatos Reges duos Fratres Minores Marinum, et Cyprianum. Conſule Nicolai litteras apud Vvaddingum *ad hunc ann. n.* 10. *pag.* 174. *et ſeq.*, et apud Raynaldum *T. IV. n.* 39. *pag.* 40. Cum perſenſiſſet Ladislaum Hungariae Regem ob conſuetudinem, quam cum pellicibus Cumanis habebat, pravitatis exemplum ſubditis ſuis praebere, inque fidei ſuſpicionem jam veniſſe, ſexto idus Auguſti illum monuit, ut ſe reſipiſceret, graviterque minatus eſt; ac praeterea plures ad illum legavit Fratres Praedicatores, et Minores, qui Regem in meliorem frugem adducerent, Cumanos, alioſque earum regionum populos ad Eccleſiae unitatem converterent. Adi-ſis Vvaddingum *ad an. cit. n.* 23. *pag.* 181. Nonis Septembris Miniſtro Provinciali Fratrum Minorum praecepit, ut ſodalem ſuum *Inquiſitorem* in Comitatu Venayſino in Provincia inſtitueret ad varios contra fidem errores ibi graſſantes reprimendos. Vide ejus litteras apud Vvaddingum *n.* 15. *pag.* 177. *et ſeq.* Eodem die aliis litteris Fratribus Praedicatoribus, et Minoritis, qui munus

Civitas Pontificiis Magiſtratibus parum obediens videbatur. Quapropter Nicolaus in eam Provinciam Hermannum Monaldenſem cum imperio miſit, Rectorem, et Comitem appellabant, quem hodie Praeſidem nominamus. Hic Provinciam ingreſſus eſt menſe Majo (1), Petro Stephani, qui ad eam diem praefuerat, Magiſtratu abeunte; is autem fuerat Petri titulus: *Petrus Stephani Romanorum Proconſul Provinciae Romandiolae, Civitatis Bononiae, et Civitatis Urbini, pertinentiarumque earumdem Comes, et Rector.*

munus *Inquiſitorum* obibant, mandavit, ut Chriſtianos Judaeorum ritus ſectantes punirent. Exſt. apud Bremondium *T. II. Bull. O. P. num.* 7. *pag.* 22. Hortatus pariter eſt hoc anno Venetum Senatum ad puniendos haereticos, cujus exhortationes tanti ipſe fecit, ut anno ſequenti *Inquiſitores* adverſus haereticam pravitatem conſtituerit, quibus etiam ut neceſſarii ſumptus ex publico aerario ſuppeditarentur voluit. Senatus diploma praeter Vvaddingum, et Raynaldum, recitat Lunigius *T. IV. op. cit. n.* 42. *pag.* 1587. Non omiſit etiam Joanni Dandulo Venetorum Duci excommunicationis, ac interdicti poenas minitari, niſi oppida, aliaque bona, quae Patriarchae Aquilejenſi abſtulerat, eidem reſtitueret. Adeundus Raynaldus *num.* 19. Sed de jure Eccleſiaſtico hoc anno a Nicolao defenſo legantur Vvaddingus *num.* 23., et Raynaldus *ibidem*.

(1) Hermannus patria Urbevetanus Flaminiam ingreſſus eſt nonis Maji anno 1288., ut patet *ex Annalibus Forolivienſibus* apud Muratorium *T. XXII. S. R. I. col.* 154.

et Rector pro S. Romana Eccleſia. Quo itemtitulo, qui ſecuti ſunt Provinciae Rectores, ſunt uſi, praeter quam quod Urbinum in nonnullis ſiletur.

Faventiam primo ingreſſus Hermannus à Faventinis benigne, amanterque acceptus, poſtquam aliquot ibi dies commoratus eſt Forlivium abiit, ubi totius Provinciae conventu habito, Nicolai Pontificis mandata exponit ad tuendam hujus quietem Provinciae plurimum ſalutaria. Sed haud ita multis poſt diebus, Malateſta è Veruculo Arimini ad eam diem, Praetor, ea civitate pulſus eſt (1). Is ad Hermannum ſe recepit.

Quoniam vero Joannes Claudus, quem eius ſeculi, ac regionis vocabulo Joannem Zottum appellabant, Malateſtae filius S. Archangeli Podium occupavit, Pontifex, ne eo forte Ariminenſes oppidum recuperaturi accurrerent, ſuſpicans, et Joannem eiicerent, Hermannum illi ferre opem juſſit, iis mittendis copiis, quibus opus

(1) Legitur *in Annalibus Caeſenatibus* apud Muratorium *T. XIV. op. cit. col.* 1107; quod Malateſta quinto nonas menſis laudati ex Urbe Ariminenſi exivit; igitur pulſus non eſt paucos poſt dies, quam perveniret Hermannus, ſed biduo ante.

Google

pus eſſe cenſuiſſet. Hermannus omni Provincia delectu ſtatim habito, brevi egregiam manum coegit, et ad Plebem S. Juſtinae in via Militari progreſſus, ibique triduo commoratus, cum ſeſe oſtenderet nemo, domum quemque ſuam dimiſit. Itaque per aliquot dies fuere quieta hic omnia, donec menſe Octobri Malateſtinus Malateſtae item filius, et Philipputius Eſinus, aliique praeterea multi in oppidum Montem Scutulum, quod eſt in Ariminenſium finibus, ſe contulerunt. Id cum Ariminenſes noviſſent, communi conſilio ſubitariis collectis militibus, eo profecti, diligenter obſidere oppidum temere munitum, et omnes vias, atque exitus obſervare. Contra Hermannus obſeſſis ſubſidio futurus delectum habet, milites omni Provincia imperat, Nicolai Pontificis nomen, ſtudiumque praetendit: Jamque parata ad iter omnia, cum ecce nuncius, captum oppidum ab Ariminenſibus docet, Malateſtinum, et qui in eo erant ceteros, captivos Ariminum, ipſo Sanctorum omnium Pervigilio adductos.

Tulit id aegre Hermannus, longeque moleſtius Nicolao accidit, qui Malateſtam, eiuſque filios Eccleſiaſticae ditionis acerrimos in hac Provincia propugnatores pu-

 tabat

tabat. Itaque durius ne haberentur, et perinde quaſi ſequeſter rem tractaret, mandat Joanni Columnae Anconae Marchioni per literas Ariminum ſtatim iret (1), et controverſias inter Ariminenſem Rempublicam, ac Malateſtam è Veruculo, Hermannumque componeret. Cum igitur Ariminum ſtatim veniſſet Joannes, diuque de pace cum Hermanno, et Ariminenſibus egiſſet, tamen diverſis utrimque conditionibus, et disjunctiſſimis animis tractata, non convenit. Philipputius tantum, Picenteſque ceteri, qui tum ea in Urbe in carcere habebantur, libere dimiſſi.

Haud minori diligentia tueri Fulginates Pontifex curavit, dum expugnandae ejus Urbis cauſa Peruſini, ac Tudertes amicorum copiis exercitum cogebant. Juſſit primum ab armis eos diſcedere, et oppugnatione abſtinere, mox cum indignatione, iraque obcaecati, optimi Pontificis monita parvi facerent, Peruſinos ipſos, Tuderteſque (2) com-

(1) Joannes Columna Ariminum profectus eſt anno 1289. Confer *Annales Forolivienſes laud.*, ex quibus haec fere omnia accepit Rubeus.

(2) Peruſinos ob expugnatum Fulgineum a Martino IV. ſacris interdictos fuiſſe teſtatur Platina *in ejus vita*. Hoc autem accidit vel anno 1285., uti ſcribit Bergomenſis *in Supplem. Chronic.* *l.* 13.

communitatis Chriſtianae expertes fecit, eorumque Civitatibus aqua, et igne interdixit. Pari ſtudio animadvertit in Guidum Montisfeltrii Comitem, qui Piſanorum Imperium ultro delatum ſe invito acceperat. Piſanos tum undique Florentini, ac Lucenſes bello premebant, Nino Scoto (1).

l. 13. *fol.* 320; vel potius ante triennium, quemadmodum tradit Auctor *Memorialis Poteſtat. Rhegienſium* apud Muratorium *T. VIII. S. R. I. col.* 1151. Sub Nicolao IV. anno 1288., et ſequenti, eoſdem Peruſinos cum Tudertinis coniunctos iterum Fulgineum vexaſſe ait Bonaventura Benvenuti *in Fragmentis Hiſtoriae Fulginat.* apud Murat. *T. IV. Antiquit. Ital. Medii Aevi Diſſert.* 46. *col.* 141; ac *T. I. Continuat. Collect. Muratorianae S. R. I. col.* 854. ita ſcribens: *venit exercitus Peruſinorum, et Tudertinorum die* 17. *Maji, et receſſit die* 5. *Judii:* et poſt pauca: *fuit facta pax cum Peruſinis de menſe Auguſti*. Cum itaque *Benvenuti* nihil dicat de excommunicationis, aut interdicti poena in Peruſinos, Tudertinoſque a Nicolao IV. lata, vereor, ne Rubeus huic Pontifici adjudicet, quod Martino tribuere debebat.

(1) Ninum, ſeu Ugolinum e gente *Scotta* cum Benvenuto Jmolenſi dixi *in Diſſert. praemiſſa Sardiniae Sacrae cap.* 2. §. 4. *pag.* 38. ſed ingenuè fateor, me in errorem ab eodem Benvenuto tractum fuiſſe; erat enim è familia *Vicecomitum*, prout demoſtrat eruditiſſimus Ordinis Stephaniani Eques Flaminius *dal Borgo* Patritius Piſanus, in hac Imperiali Academia publicus Juris Civilis Profeſſor Ordinarius *in Adnotat. ad Chronicon Urbis Volaterranae pag.* 76.

Cive Piſano, qui gratia, et opibus valebat, et Gallurae, quae Inſulae Sardiniae pars eſt, Judex, id autem eſt Rector, erat, Florentinos juvante. Hunc Ugulinus Gerardeſcus avunculus dominandi libidine cum Rogerio Ubaldino Piſarum Archiepiſcopo coniunctus, Urbe expulerat, occupaveratque ipſe faſtu, pompaque inſigni Civitatis dominatum. Sed tandem populari tumultu, quem Rogerius Archiepiſcopus concitaverat, conjectus in carcerem cum duobus Filiis, ac Nepotibus tribus (1), fame omnes miſere ibidem interiere. Itaque cum magis quotidie Piſanos bello laceſſerent Florentini, Lucenſeſque ſummum copiarum ſuarum Imperatorem Piſani faciunt Guidum Montisfeltrii Comitem, magnamque

(1) Ugolini, aliorumque tragicam ſcenam, quae anno 1288. quinto idus Julii accidit, deſcribunt Dantes *can.* 33. *Inferni*, Villanius *l.* 7. *H. F. cap.* 20. *col.* 320.; Anonymus Hiſt. Piſanae apud Muratorium *T. XXIV. S. R. I. col.* 651., & alii. Paullinus Pieri *in Chronico Rerum Italiae ad an.* 1288. *pag.* 50. Ugolini Nepotes in carcerem conjectos duos fuiſſe ſcribit. Villanius *loc. cit.* tres fuiſſe aſſerit. Sed conſule virum clariſſimum Flaminium *dal Borgo* ante laudatum, qui de tempore, ratione huius tumultus, de Rogerio, Ugolino, eiuſque Filiis, ac Nepotibus plura diſputat in Opere, cui titulus: *Diſſertazioni ſopra l' Iſtoria Piſana T. I. par.* 1. *Diſſer.* 1., 2., ac 3.

que in urbe auctoritatem, magnum Imperium ei tribuunt. Guidus praeceptis Eccleſiae poſthabitis, Imperium accepturus, venit Piſas: quam ob rem Pontifex illum, Uxoremque illius, atque item Filios, ut hoſtes Eccleſiae diro Senatus conſulto, et praeſenti anathematis poena notavit (1).

Eodem hoc tempore Nicolai animum Neapolitanum maxime bellum torquebat, dum Jacobus Aragonius Siciliae Rex poſtquam claſſem Cajetae in conſpectum adduxerat, ad Belvederium Calabriae oppidum tranſgreſſus, circumſedere illud, oppugnareque inſtituit, ſed tandem aliquot fruſtra conſumptis diebus imbrium, ac ventorum vi repulſus diſceſſit, cum tamen in oppugnatione oppidi ictibus propugnatorum, Patriſque oculis (Rogerius is erat Sanguinettus oppidi Praefectus, partium Caroli ſectator) Filios, quos habebat obſides duos, objeciſſet ad ſummum palum deligatos, è quo ſaxi ictu ambobus in terram deturbatis, alter interiit, quem Rex dolorem Patris ut leniret honeſtiſſimo fu-

 nere

(1) Non ſolum excommunicavit Guidonem, ſed etiam Piſanam Urbem Eccleſiaſtico interdicto punivit anno 1290. decimo quarto calendas Decembris. Conſule Raynaldum *ad hunc ann. num.* 27.

nere extulit, alterum illi dono dedit (1).

Ad oppugnandam mox Cajetam reverſus, ipſo aſcenſu à navibus in terram, Avellini Comitem praeſidio Urbis Praefectum, qui ſe illi objecerat, fudit, fugavitque, et ſuburbiis, Molam vocant, primo incurſu direptis, omnem circa agrum, fundos uſque ferro, atque igne depopulatus eſt. Supra urbem Jacobus in monte caſtra habuit, munivitque diligentiſſime vel ob eam cauſam, quod Robertus Atrebatenſium Comes Philippi Pulchri Regis Gallorum Filius, qui pro Carolo pugnabat, paulo poſt opem Urbi obſeſſae laturus, caſtra adverſus tabernacula Jacobi poſuerat vix ſtadio procul, et Nicolaus Pontifex, quem Jacobi progreſſus, et Caroli captivitas ad inſignem moleſtiam dabant, ſpectata virtute milites veteranos ſubſidio miſerat.

Neque vero hic optimi Pontificis ſtudium perſtitit, ſed dum Urbs naturali etiam ſitu munita parum ab Jacobo timet, ipſe, ne quid intentatum ad hos compeſcendos tumultus relinqueret cum Alphonſo Aragonum Jacobi Fratre, et Odoardo Britan-

(1) Vide Thomam Fazellum *loco ante cit;* ac in primis Bartholomaeum de Neocaſtro *op. laud. cap.* 112. *col.* 1142; ubi de Jacobi, et Caroli bellis agit diligenter.

Digitized by Google

Britannorum Regibus egit, pacem, aut inducias ut curarent (1). Quod ab Regibus factum eſt, miſſis ad Jacobum, et Robertum (2) Legatis, qui tum advenere, cum adhuc Cajetam Jacobus obſidebat, Jacobum Robertus obſidere videbatur, uti ſupra memoravimus. Res à Legatis acta eſt cum Regum ſuorum, tum vero Pontificis nomine ſane quam diligenter, ſecutaeque tandem induciae (3). Itaque Robertus honoris cauſa primus caſtra movit; triduo poſt copiis in naves impoſitis cum omni claſſe in Siciliam Jacobus adnavigavit.

Sub id etiam fere tempus (4) Alphonſus

E 4

(1) Celeberrimus Muratorius *T. XI. Ann Italiae ad ann.* 1289. *pag.* 208. inquit, Angliae, Aragoniaeque Reges eos fuiſſe, qui Pontificem rogarunt, ut de compoſitione ageret, quia verebantur, ne res temporis progreſſu Jacobo malè cederent.

(2) Immò ad Carolum, qui jam è cuſtodia liberatus erat, ut paullò poſt videbimus. Robertus enim nunquam induciarum pactum admiſiſſet, cum illud à Carolo initum vehementer improbarit. Legatur Villanius *l. 7. Hiſt. Florent. cap.* 133. *col.* 332.

(3) De anno, quo hoc accidit, ita ſcribit Muratorius *loco cit.* „Il Rinaldi negli Annali Eccle„ſiaſtici mette queſto fatto ſotto l' anno ſeguen„te (1290) ma a mio credere non battono bene „i ſuoi conti„

(4) Rubeus exiſtimat memoratum bellum antequam

ſus Pontificiis tandem literis, atque Internunciis fatigatus, Carolum ſecundum, tribus eius Filiis, quos alii alio nomine appellant (1), ſeptem enim Filios habuit mares, acceptis obſidibus, è cuſtodia liberum dimiſit; iis etiam inter ipſos pactis conditionibus, ut Siciliae Regnum Jacobo Carolus concederet, et Valleſii Comes Aragoniae Regnum renunciaret: quae deinde, quod ſui juris non eſſent praeſtare non potuit (2); cum etiam de Siciliae Regno quidquam pactum Divus Antoninus

tequam Carolus è cuſtodia educeretur eveniſſe, ſed in magno errore eſt; nam Carolus liber evaſit anno 1288. menſe Novembri, uti conſtat ex Raynaldo *num.* 16. *pag.* 31., bellum verò factum eſt anno 1289. menſe Majo, et ultra. Adeundi Villanius, et Bartholomaeus de Neocaſtro *locis cit.*

(1) Nicolaus Specialis *Hiſt. Sicula lib.* 2. *cap.* 15. ſcribit vocatos fuiſſe Ludovicum, Robertum, et Philippum. Anonymus Auctor *Chronici Siculi cap.* 50. apud Muratorium *T. X. S. R. I. col.* 841. apud Martenium *T. III. Theſ. Anecdot. col.* 41., atque Almaricus Augerius *in vitis Rom. Pontif. T. III. par.* 2. *S. R. I. col.* 433. ajunt, duos fuiſſe Robertum, et Aloyſium. Reipſa tamen tres fuerunt, vocatique ſunt Ludovicus, Robertus, et Raymundus Berengarius. Vide Nicolai litteras apud Raynaldum *ad ann.* 1288. *n.* 17. *pag.* 31. *et ſeq.*

(2) Eò maximè quia a ſacramento abſolutus a Nicolao eſt, iudicibus Trivetto *in Chronico ad ann.* 1289. *pag.* 211. apud Dacherium *T. III. Spicilegii*,

nus (1), qui meminit aliorum, non ſcribat.

Inter tot graves Reip. Chriſtianae, communeſque curas non omiſit optimus Pontifex ex religioſo animi ſui ſenſu Franciſcanae familiae ſtudium, quam ut melius conformaret, Comitia Generalia Aſſiſii jam coacta haberi Reate voluit, qua tunc in Urbe (2) morabatur: neque vero ea ſolum de cauſa, ut cum eadem ipſe in Urbe eſſet, adderet animos iis, qui Sancti Franciſci inſtituta, legeſque ad integram, priſtinamque ſeveritatem reſtitui cupiebant, alios qui contra niterentur, deterreret; verum ut ex eius ſententia, qui non ſolum adeſſe

legii, et Nangio *in Chronico ad an. cit. pag.* 48. *T. laud.*, quod conditiones, pactioneſque illicitae eſſent, ut idem ipſe Nicolaus oſtendit in litteris memoratis.

(1) *Par.* 3. *Chron. tit.* 20. *cap.* 6. §. 3. *fol.* 63. Dubitari tamen non poteſt, quin pactum fuerit, ut Carolus Siciliae Regnum Jacobo cederet, ſiquidem hoc aperte colligitur ex Nicolai litteris ſupra indicatis.

(2) *Æſtate ſubſequenti* (anno ſcilicet 1289.) *reverſus eſt Reate*, inquit Auctor *Memorialis Poteſt. Rhegiens.* apud Muratorium T. *VIII. S. R. I. col.* 1171. Ibi moratum eſſe ſaltem uſque ad 4. nonas Octobris conſtat ex ejus diplomate, quod memoratur *in Chronico Coenobii Schutterani pag.* 21. apud Joannem Frider. Schannat *in Vindemiis Litterariis Collectione prima*.

adeſſe eorum conventibus, ſed intereſſe decreverat, Generalis Miniſter, quando ita Patribus conſcriptis viſum eſſet, Ordini praeficeretur. Itaque in ipſis Comitiis (1) Nicolaus quamquam Patribus poteſtatem fecit, ut eligerent quem vellent, tamen et eorum, qui eligebant vota audiit, et animi ſui ſenſum, quem cuperet Generalem Miniſtrum creari, haud omnino occultavit (2). Quae cum eſſent illis nota, res tamen alio cecidit, quam Nicolaus voluerat. Qua de re alius eſt Generalis Miniſter creatus: Is autem Raymundus de Gallia Narbonenſi fuit (3). Quamquam vero id Nicolai animum videbatur commovere plurimum potuiſſe, tamen ille non modo non doluit, nec quidquam repugnavit, neque parum placere ſibi vel aliqua ex parte ſignificationem

(1) Quibus adfuerunt etiam Fratres Bentivenga, et Matthaeus Aquaſpartanus ambo Cardinales ex Ordine Minorum, Carolus Siciliae Rex, ejuſque Uxor. Conſule Fleurium *Hiſt. Eccleſ. lib.* 89. *num.* 3. *pag.* 441.

(2) Narrat haec omnia S. Antoninus *op. cit. tit.* 24. *cap.* 15. §. 11. ex Chronico, ut ſolet, XXIV. priorum Generalium Ordinis Minorum. Vide *in Append. n.* 6.

(3) Cognomento Gaufredi *noble*, inquit Fleurius laudatus, *de naiſſance, Docteur en Theologie, vertueux, et très zelè pour la pauvretè, et la diſcipline reguliere.*

tionem praebuit, quin tanquam divino ſpiritu factum probavit, eodemque Generali Praefecto uſus eſt, et illi mandavit per litteras in Fratres illius familiae quoſdam ageret, qui in Narbonenſi Gallia, dum ceterorum ſtatum Fratrum damnarent, ſeque aliis longe praeſtantius, familiariuſque cum Deo agere praedicarent, in eoque ſe hominibus venditarent, deprehenſi ipſi ſunt ſeditiones per Provincias, offenſioneſque concitare, tumultus (1) miſcere, abhorrentem à veritate doctrinam ſequi. Quo univerſo negotio Bertrando Cigoterio (2) ejuſdem familiae Fratri demandato, qui de tota re diligenter inquireret, ad Patrum deinde Senatum, qui ad Comitia Generalia Pariſiis erant proxime conventuri, et quorum erat decreto de illa ſtatuendum, relatum eſt.

Venerat hoc interim ſpatio in Italiam Carolus, et per Hetruriam (3) Reate profectus

(1) Ita Chronicum laudatum, et ex eo S. Antoninus *loco cit.* Qui hujuſmodi tumultus excitarunt, fuerunt, judice Vvaddingo *ad ann.* 1290. *num.* 11., Petri Joannis Olivi ſectatores.

(2) Qui tum erat in Comitatu Venayſino adverſus haereticam pravitatem *Inquiſitor*, eodem anno 1290. quo haec inquiſitio demandata ei fuit electus. Vvaddingus *ad eum ann. num.* 4. *et* 11.

(3) Florentiam pervenit anno 1289. initio menſis Maji, uti narrat Villanius, *l.* 7. *cap.* 129. *col.* 325.

fectus ubi erat Pontifex, magna ipſius, et Cardinalium omnium, ceteraeque Romanae Aulae gratulatione exceptus, paulo poſt omnes ſimul Romam profecti ſunt: ibique V. Cal. Jun. die feſto Pentecoſtes, quo die Spiritus Sancti è ſuperis ſedibus ad Apoſtolos demiſſio, anniverſaria ſolemnitate jam inde à primordio naſcentis Eccleſiae celebris agitur, anno 1289. in ſacra Aede Divi Petri (1) incredibili hominum fre-

(2) De loco, quo Carolus Regia Corona inſignitus fuit, idem ante Rubeum tradiderant Paulinus Pieri *op. alias cit. pag.* 52., Villanius, Trivettus, Nangius *locis indic.*, et alii plures. Verum Auctor *Memorialis Poteſt. Rheg. loco ante cit.*, cui utpotè facto praeſenti credendum eſt, laudatis Scriptoribus adverſatur; en ejus verba: Nicolaus Reate *in Sancto Pentecoſte...... me praeſente Dominum Carolum filium quondam Regis Caroli, et ejus Uxorem coronavit in Regem Jeruſalem, et Siciliae*. Idipſum patet ex litteris Nicolai ad Epiſcopum, et Clerum Reatinum, quarum meminit Raynaldus *ad ann.* 1289. *num.* 1. Lege etiam Chronicum XXIV. Generalium, et Chronicum Taurinenſe, quorum auctores narrant Carolum accepiſſe Coronam *in loco Fratrum*, ſcilicet, uti interpretor, in noſtra Reatina Eccleſia. Ex quo conſtat falſum eſſe, quod legitur in *Annalibus Dominicanorum Colmarienſium pag.* 24. apud Urſtiſium *T. I. par.* 2. *Hiſtoricorum Germaniae*, nimirum: *Papa Nicolaus expellitur de Roma, quia Filium Caroli in Regem eis contradicentibus conſecravit, et cum illo pars Papae, ubi ex utraque parte pluſquam D. numero perierunt.*

frequentia eum Nicolaus Neapolitani, Siculique Regni titulo, et corona inſignivit, et in apparatum belli, quod ad tuendum Regnum jam animo Rex conceperat, compluribus gemmis, doniſque praeterea multis, et inſuper Decimis donavit.

Ceterum ſuſpicans interea Jacobus, ne per ſpeciem induciarum falleretur, Bernardum Sarrianum miſit, qui et primum Carolo renunciaret inducias, et mox initium bello daret. Quam ob rem renunciatis illis, Sarrianus Paſitanum, et Aſturum oppida depopulatur, magnamque inde praedam in Siciliam adducit. Ceterum ſuam auctoritatem denuo interpoſuit Nicolaus, et pro ſummo ſuo quietis deſiderio miſſis de hac re ad Jacobum diligentiſſimis internunciis, de integro inducias tandem eodem anno obtinuit (1).

Ad ornandum, ordinandumque familiae Franciſcanae ſuae ſtatum deinde converſus, non modo probavit (2) literis ſuis

XVJ.

(1) Hortante Nicolao Jacobus non ſolum inducias Carolo dedit, ſed etiam quinque navibus Chriſtianos in Oriente fere oppreſſos adiuvit. Conſule Nicolaum Specialem *Hiſtoria Sicula l.* 2. *cap.* 16. apud Muratorium *T. X. S. R. I. col.* 958.

(2) Litterae, quibus Nicolaus haec omnia anno 1289. die laudata probavit, ſunt apud Laertium Cherubinum *T. I. Bullarii num.* 2.

XVI. cal. Septemb. Reate datis Tertium à S. Franciſco inſtitutum Paenitentium Fratrum Ordinem, verum et promulgavit ejusdem leges; quibus vitam ſancte degerent; quis admitti poſſet, quomodo reciperetur, quis eorum habitus, quae ſacrae illorum inediae, qua uti abſtinentia deberent, quam ſaepe, quam accurate per Poenitentiae Sacramentum eluerent animae ſordes, quoties Sacratiſſimae Euchariſtiae Hoſtiam ſumerent, et complura alia religioſo Pontificis animo digna; quemadmodum et anno ſuperiore Petro Aemiliano Rutinenſi è Provincia Narbonenſi Generali Praefecto Carmelitanorum probaverat album Cucullum (1), quo ad eam diem

(1) Cum Patres Carmelitae diu veſtes albas detuliſſent, ſub anno 636. (ita plures Hiſtorici ſcribunt; jure ne, an iniuria aliorum eſto judicium) cappam circulatam largis virgis albis, et griſeis adhibere coeperunt, quod *Homar*, ſeu *Humaro* Mahummedis diſcipulo, qui Syriam per illud tempus occupaverat, veſtes albae diſplicerent. Tempore Honorii IV. videntes *cappam circulatam* viris Religioſis minus convenire, ut eam immutare poſſent impetrarunt. In Comitiis igitur anno 1287. in Monte-peſſulano habitis, veſtes, quibus modo utuntur, deferre ſtatuerunt. Pontifex laudatus morte praeventus Patrum decreta confirmare nequivit; at id praeſtitit Bonifacius VIII. anno 1295. diplomate, quod eſt apud Cherubinum *T. I. Bullarii n.* 3. Legendi hac de re ſunt Arnoldus Borſtius,

diem vi Saracenorum à tempore Humar Arabiae Regis intermiſſo, hodie ſupra ceteram veſtem Ordo ille vetuſtiſſimo Inſtituto utitur: adjectis, auctiſque etiam immunitatibus, ac privilegiis, quibus ſuperiores Pontifices Ordinem illum ornaverant. Probavit (1) quoque vivendi formulam, quam Albertus Hieroſolymitanorum Patriarcha illis praeſcripſerat, Innocentius Quartus mitigaverat: ad haec, iis, qui Templa eorum inviſerent diebus maximis feſtis, quadragenariiſque jejuniis certam poenae peccatis debitae remiſſionem indulſit (2). Quae eo majore animi propenſione à Nicolao probata, dataque ſunt, quod hoc fere tempore ex Syria, regionibuſque illis ſanctis, ubi

ſtius, ceterique Auctores a Cardinali Petra *in not. ad cit. Bonifacii diploma* numerati. Quod hic narrat de Nicolao Rubeus, reticent *Bullarium* Carmelitarum a Monſignano collectum, Ordinis Annales a Lezana perſcripti, ac *ſpeculum Carmeliticum* a Daniele *a Virgine Maria* compoſitum; immò omnes exteri Scriptores, quos ego vidi, quique de Carmelitarum habitus mutatione loquuti ſunt, Ptolomaeus Lucenſis, Villanius, Bernardus Guidonis, Almaricus Augerius, Vvernerus Rollevink, S. Antoninus, Platina, Panvinius, aliique ſexcenti.

(1) Vide Nicolai litteras anno 1289. cal. Julii Reate datas apud Monſignanum *T. I. Bullarii n. 2. pag.* 40.

(2) Exſtant hac de re variae Nicolai litterae apud eumdem *T. cit. pag.* 42. *ſeq. num.* 5. 7. 8.

ubi ad Montem Carmelum, qui Ordini nomen dedit, ii Fratres potiſſimum florebant, à Sultano diſturbati, ejectique, et miſere afflicti, in Europam omni pene humana ope deſtituti ſe receperunt (1).

Sed neque omiſit inter has rerum divinarum curas Nicolaus populorum rurſus adminiſtrationem (2), eo magis tum neceſ-

(1) Patres Carmelitas ejectos ex illis regionibus a Sultano fuiſſe ob veſtis mutationem, quae illi haud placebat, ſcribunt Villanius *lib.* 7. *Hiſt. Flor. cap.* 108., Continuator Belli Sacri *lib.* 5. *cap.* 3; ac S. Antoninus *par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 5. Nemo tamen credat Honorii IV. circiter temporibus primum in Europam veniſſe Carmelitas, quemadmodum Rubeus noſter opinari videtur. Narrat enim Guilielmus de Sanvico *in Chron. cap.* 3. apud Papebrochium *in Hiſt. Chronol. Patriarch. Hieroſolym. parer.* 13. *pag.* 61. *T. III. Maji Bolland.* anno 1238. has in partes eos venire coepiſſe.

(2) Curae, quae Nicolaum angebant, manebantque ſub eius pectore fixae non in eo ſolum verſabantur, quod hic ſcribit Rubeus. Id, in quod ſumma cogitatione hoc anno 1289. etiam incubuit, fuit, ut veram fidem per varias mundi regiones evulgaret, ſervaretque, ubi jam evulgata eſſet. Cum ab Argone Tartarorum Rege jam baptizato, et a F. Joanne *de Monte Corvino* Minorita, aliiſque ſodalibus ſuis ex Orientis regionibus reverſis audiviſſet et illarum populos verbum Dei ſitire, et viros Principes optare, ut Religio Chriſtiana longe, lateque dilataretur, menſe Julio iisdem Fratribus in Orientem miſſis ad Argo-

neceſſariam, quod licet inter duos Siciliae, ac Neapolis Reges ob pactas ſua opera

F indu-

Argonem, Cobylam Cham ſummum Tartarorum Imperatorem, et Caydonium virum Principem litteras dedit, quibus alterum in vera fide confirmabat; alteros ad eam ſuſcipiendam hortabatur; resque juxta Pontificis vota evenit. Memoratas litteras exhibent Vvaddingus *ad eum ann. n. 2. ſeq.*, Raynaldus, et Moshemius. Scripſit etiam hoc eodem anno ad Aytonum Regem Armeniae, ad Imperatorem Ethiopiae, Demetrium Georgianorum, Davidem Regem Hiberorum, ad Patriarchas, Epiſcopos, alioſque Praelatos Jacobitarum, Neſtorianorum, ac Ethiopum ſpeciali affectu eorum quoſdam admonens; ut ad Eccleſiam Romanam redirent, quosdam ut Chriſtum colerent. Vide Raynaldum *n. 56. et ſeq.*, Vvaddingum *n. 7. et ſeq.* In Africa quoque rei Chriſtianae cultum maximè promovit; nam anno laudato tertio idus Decembris in Epiſcopum Marochitanum elegit F. Rodericum O. M., quem item in variis Europae partibus *Crociatae* praedicatorem, et anno ſequenti in Africa univerſa A. S. Legatum conſtituit. Litteras praeterea miſit ad Chriſtianos, qui in Tremeſino, Marochitano, ac Tunetano Regnis verſabantur, ut Mauros ad Sacra Chriſti inſtituta adducere vellent. Confer Vvaddingum *ad an.* 1289. *n.* 19., *ad an. ſequentem n.* 19. *ſeq.* Jura pariter Eccleſiaſtica ſtrenuè defendit Nicolaus hoc eodem anno; enim verò cum Dionyſius Luſitaniae Rex in Clerum praeſertim iniurius nimis eſſet, Pontifex ſcriptis ad Regem litteris cum eo convenit, ut libertas Eccleſiaſtica poſtliminio reſtitueretur, graviſſimis ſtatutis poenis in Regem, alioſque im-

poſte-

inducias, arma ceſſabant, quod erat tamen in Italia reliquum gravibus contentionibus agitabatur. Nam excitatis denuo inter ſe diſſenſionibus Vicecomites, Turrianique Mediolanum, et omnes fere ejus ampliſſimae regionis Civitates ſecum trahentes, acerrime pugnabant. In Tuſcia Florentinorum, qui Guelfum, et Aretinorum, qui Gibellinum nomen praetendebant factionibus, armiſque turbabantur omnia, non abſque ſummo Nicolai moerore, cujus animus pacis amantiſſimus à ſeditionibus, et tumultu perpetuo abhorruerat: dolebatque magis, eam peſtem ad ſuae ditionis populos, tum quod illis finitimi plerique erant, tum propter animorum, factionumque conjunctionem, transferri, et ingenti ſalutis animorum jactura, corpora etiam interire; quod vel in eo maxime prae-

poſterum audentes eidem libertati derogare; utque conventiones ſervarentur *Priori* FF. Praedicatorum, et *Guardiana* Minorum Urbis Ulyſipponenſis praecepit, a Rege, ceteriſque antea delinquentibus ſacramentum recipere mandatis Eccleſiae parendi. Lege Raynaldum *num.* 16. *et ſeq.* Multum quoque laboravit apud Rodulphum Imperatorem, alioſque viros Principes Germaniae, quo e carcere educeretur Siffridus Archiepiſcopus Coloniensis, ubi detinebatur a Duce Brabantiae, Henrico *e Juliaco*, et Adolpho *e Monte* Comitibus, Adiſis Raynaldum *num.* 43.

praelio accidiſſe potuit, quod ad Campaldinum, quae Caſentini (1) planities eſt ad radices Apennini, qua Puppium eſt in colle, his diebus eſt geſtum, cum Florentini Guelfi una cum earundem partium Senenſibus, Pratenſibus, Lucenſibus, Volaterranis, ac Piſtorienſibus Florentia profecti, manus cum Aretinis Gibellinis, aliiſque ejusdem factionis finitimis, et Florentinis exulibus conſtruerunt ad 3. Idus Iun. ipſo die Divi Barnabae Apoſtoli Feſto: quo praelio ex Gibellinis magna caede fuſis, fugatiſque, duo millia circiter capta fuerunt, ad tria millia (2) ceciderunt, ipſeque in primis Guido Petramala (3) Aretinorum Epi-

(1) Mirum profectò Rubeum, qui ut plurimum ſequi Platinam ſolet, modò eundem narrantem Guelphos, et Gibellinos anno 1289. pugnaſſe in loco quodam agri Tiphernatis, quem poſtmodum *Campaldinum* vocarunt, penitus deſerere. Id autem Rubeus meritò facit; nam quod Platina de loco pugnae ſcribit, adverſatur Dino Compagni *in Chron. Florent. col.* 473. *T. IX. S. R. I.*, Villanio *op. cit. l.* 7. *cap.* 130. *col.* 326., Paulino Pieri *op. laud. pag.* 52., aliiſque eorum temporum Scriptoribus.

(2) Ita Platina *in vita Nicolai IV.* Longe minorem fuiſſe numerum mortuorum aſſerunt Villanius, et Paulinus laudati.

(3) Guido Tarlati *e Petramala* in Epiſcopum Aretinum electus eſt anno 1313. judice Ughello *T. I.*

Epiſcopus, ac Princeps, Boncontes etiam Guidi Montis Feltrii Comitis filius, et Eccleſiaſticae ditionis nobiles Viri complures. Ipſa etiam Ancona (2) praecipua Piceni Urbs, per id tempus, magno apparatu, ac vi à Saracenis oppugnata, ubi diu ſtrenue reſtitit, cum ultra non poſſet capta, et miſere direpta, triſte ſui ſpectaculum omnibus qui aderant, praebuit, Nicolaum Pontificem plurimum commovit, tametſi ſubſidia undique parabantur, Siciliaeque Rex Iacobus naves quinque egregie armatis militibus, et commeatu inſtructas praemiſerat.

In Flaminia res cum Ravennatibus agebatur ob conventum, quem Petrus Stephani ejus jam uti memoravimus Provinciae

T. I. Italiae Sacrae in Ep. Aretin. num. 65. col. 424., Igitur ante quinque fere luſtra mortuus in bello non eſt, quemadmodum Rubeus exiſtimat. Villanius *loco cit.* Epiſcopum Aretinum a Guelphis occiſum vocat Guilielmum e *Ubertinorum* gente, quae cum eſſet ſocietate coniuncta cum Pazziorum familia in Valle Arni morante, ut colligitur ex Dino, et Villanio laudatis, a nonnullis Scriptoribus Guilielmus *de Pazzis* appellatus eſt.

(1) Hanc tamen poſtliminio reſtituit Nicolaus anno 1291., prout narrat Vvaddingus *T. V. ad annum* 1292. *n.* 8. *pag.* 296. innixus monumentis ſibi a Civibus Anconitanis miſſis.

ciae Rector, exitu anni (1) antequam Provincia abiret, ſeptimo Cal. Decembris ad Forum Cornelii, nunc Imolam appellant, habuerat. Ad illum cum veniſſent Rectoris juſſu omnium Provinciae civitatum Legati, cauſarumque Patroni, Syndicos vocant, ut certa cuique pecunia, certus militum numerus ad tuendam Provinciam imponeretur, Ravennates nec eo quempiam miſiſſe, nec pecuniam, quae illis imperata in eo conventu fuerat, pernumeraſſe dicebantur. Itaque non modo ad pecuniam illam, ſed ad mulctam, quae illis dicta ob eam contumaciam à Petro fuerat, expediendam cogebantur. Accedebat ad haec Guidonis Polentani, et privatim ſuo, et publice Reipublicae Ravennatis, cujus Praetorem tunc gerebat, nomine cum Venetis foedus, quam ob rem ex Ravennati frumentum extrahi permiſiſſet. His de cauſis Guido in jus vocatus eſt, nec ipſe modo, ſed et Bernardinus, Hoſtaſius, et Lambertus (2) ejus filii, et cum eo Malateſtinus Malateſtae filius, quod Ra-

(1) MCCLXXXVII.; nam Petrus Stephani anno ſequenti menſe Novembri non amplius Flaminiam gubernabat, uti narratum eſt alias.

(2) *In Annalibus Forolivienſ. alibi tit. col. 157.* hic *Rambertus* appellatur.

vennae, Arimini, et Cerviae defectionis ab Eccleſia Romana auctores fuiſſent, ipſaſque Urbes contra jus occuparent. Ad Ravennates quod attinet, et Imolenſem Conventum, Guido Polentanus Lamberti filius, ejuſque filii, quos diximus, cumque illis Signorellus, et Hugo Fratres Ghetii, Paracaria Rizardi filius, Parzitatus, Ubaldinus Signorellus, et alii complures ad Pontificem legarunt Jacobum Bononienſem, qui illorum cauſam ageret, et vacare culpa Ravennates oſtenderet, et tributum illud poſt hominum memoriam conferre nunquam Ravennates conſueſſe, ad eum conventum ſuos oratores Rempublicam Ravennatem miſiſſe, illis mandaſſe, ne imperare ſibi collationem pecuniae aliquam, neu militum numerum ſinerent, nec imperatis aſſentirent: quod tamen ipſi efficere nequaquam potuere, propterea quod una cum Ravennati Syndico pridie, quam conventus haberetur ab Provinciae Rectore in carcerem coniecti fuiſſent; itaque nullo aut renuente, aut aſſentiente, et pecuniam, et milites imperatos: E cuſtodia deinde eductis, mandatum intra triduum ſe defenderent, et praeceptis parerent. Eam ob rem Guidonem Polentanum et privatim ſuo, et publice Ravennatis Reipubli-

cae

cae nomine totam diſceptationem à Petro ad Nicolaum Pontificem revocaſſe. Quoniam vero Petrus iis, qui Praetoris, Senatus, Civis denique Ravennatis bona rapuiſſent, quacumque eos ratione laeſiſſent, vexaſſent, impunitatem edicto ſuo dederat, Jacobus abrogari omnia à Pontifice poſtulavit, Petrum ipſum in Sacratos viros manus injeciſſe, è Provincia frumentum emiſiſſe, Forumlivii, Pompilii, Britonorium, Cerviae arcem hoſtiliter aggreſſum, Polentanos contra, Eccleſiae hoſtibus, Guidoni praeſertim Montefeltrio bellum intuliſſe. Monaldenſis qui hanc Jacobi profectionem noverat, jamque Polentanos ad expediendam pecuniam acriter urgebat, Joannem Marcoaldum miſit, qui apud Pontificem pro Rectore Provinciae diceret. Verum Pontifex cum intelligeret alicujus momenti rem eſſe, quae et temporis maturitatem poſtularet, Salvo Bononienſi in aula Romana generali provocationum cauſarum capitalium Judici mandavit univerſum negotium, ipſe longe gravioribus curis implicitus ob bella, quae magno Chriſtianorum damno in Syria ſaeviebant, celebri Urbe Tripoli à Saracenis capta, et faede direpta (1).

 Non

(1) Tripolis Urbs maritima, ſatiſque nobilis Phoe-

Non omiſit tamen quin bonarum artium ſtudia promoturus, quibus erat ipſe praeclare eruditus, in Monte Peſſulano, quem putant Agathopolim fuiſſe, publicum Gymnaſium (1) inſtitueret, unde omni litera-

Phoeniciae miſerè in Saracenorum manus cecidit anno 1289. quinto calendas Majas teſte Marino Sanuto ſeniore *in Secretis fidelium Crucis lib. 5. par. 12. cap. 20. pag. 230.* apud Bongarſium *T. II. Geſtorum Dei per Francos ed. Hanoviae* 1611., cui ſanè magis credendum eſt, quam Iperio, Ptolomaeo Lucenſi, et aliis Hiſtoricis, qui Tripolim a Saracenis occupatam aſſerunt anno praecedenti. Deplorabilem Chriſtianorum ſtatum Tripoli oppugnata deſcribit inprimis Nicolaus in litteris ad Epiſcopum Tripolitanum quas exhibet Raynaldus *ad ann. cit. num. 66.* De iis, quae geſſit Pontifex, ut Saracenis fraenum injiceret legendi ſunt Marinus Sanutus laudatus, Sanutus junior *in vita Joannis Danduli Venetorum Ducis* apud Murat. *T. XXII. op. cit. col.* 576., Raynaldus *loco cit.*, *et alii.*

(1) In Monte-Peſſulano Urbe Occitaniae inferioris duabus leucis ab ora maris Mediterranei diſtante Gymnaſium inſtituit anno 1289. ſeptimo calendas Novembris. Vide Nicolai litteras apud Raynaldum *ad eum ann. n.* 51. Anno ſequenti 5. idus Auguſti variis privilegiis exornavit Ulyſipponenſem Academiam a Rege Dionyſio excitatam. Raynaldus *ad eum ann. n.* 52. Anno 1291., uti conſtat ex litteris Pontificiis apud eundem Raynaldum *ad eum ann. n.* 62., poteſtatem fecit Archiepiſcopo Biſuntino, ut Academiam inſtitueret, non quidem Graeci in Pannonia ſuperiori, ſeu Stiria,

terarum genere clariſſimi Doctores prodierunt.

In Flaminia quoque Hermanno Monaldenſi Rectori, et Comiti ſuffecit Stephanum Jenazani Columnam (1): neque tamen ante è Provincia Hermannus abiit, quam Ricciardus Alatigus Stephani Vicarius menſe Auguſto Provinciam ingreſſus eſt, quemadmodum et Bartholomaeus (2) Epiſcopus Groſſetanus Provinciae ad eam diem Legatus diſceſſum extraxit in adventum Petri Saraceni Vicentinorum Epiſcopi (3), qui eodem Legati titulo, ac munere in hanc Provinciam ſucceſſor Bartholomeo a Pontifice miſſus fuerat, paulo poſt Ricciardum Provinciam intraverat. Huic ſtatim ab Ari-

ria, quemadmodum ſcribit Raynaldus *ibidem*, ſed *Graei* vulgò *Gray* in Burgundiae *Comitatu* prout narrat Pagius *in vita Nicolai num.* 20.

(1) Anno 1289., eratque patria Romanus. Confer *Annales Foroliv. col.* 155.

(2) In Annalibus laudatis, ex quibus haec accepit Rubeus, Bartholomaeus patria Amerinus, Frater Minorita non dicitur; revera tamen fuit judice Ughello *T. III. Italiae Sacrae in Ep. Groſſet. n.* 24. *col.* 662., ubi ille plura de Bartholomaeo loquitur, ſed in Flaminiam legatum a Pontifice fuiſſe ſilet.

(3) Qui fuit Civis Romanus in Epiſcopum Vicentinum electus anno 1287., ac poſt ſeptennium defunctus, ex Ughello *T. V. op. cit. n.* 46. *col.* 1054.

ab Ariminenſibus omnia oppida, quae ad eam diem tenuerant data Romanae Eccleſiae nomine ſunt. Cum vero Columna Rector Ariminum deinde adveniſſet liberaliter, honorateque ab Ariminenſibus tractatus in magnam familiae Malateſtae perturbationem incurrit, obtruncatis per hoſce dies ab Joanne Claudo Malateſtae filio, Paulo Fratre, et Franciſca Guidi Polentani Ravennatis filia, quam haud ita diu ante uxorem Joannes duxerat, quia ſtuprum confecerant. Itaque Stephanus Caeſenam diſceſſit, ibique Mazolinum (1) Caeſenatem Mantuae Praetorem deſignatum ſolemni pompa in Aede maxima Equeſtri dignitate decoravit, cum in Deiparae ſemper Virginis honorem Petrus Epiſcopus Vicentinus Legatus frequentiſſimo hominis concurſu rem ſacram egiſſet, Bonifaciuſque Ravennatum Archiepiſcopus (2) cum Ariminenſium Epiſcopo (3) adfuiſſet. Tandem

(1) Annales memorati *col.* 156. Mazolinum *Raulem* cognominant.

(2) De quo loquuti breviter ſumus *pag.* 57. *not.* 3.

(3) Quis fuerit hic Forolivienſis Epiſcopus mihi certò non conſtat; nam a Rubeo *in Hiſt. Raven. lib.* 6. *ad an.* 1288. *pag.* 469. *ed.* 1589. vocatur *Rodulphus*; ab Ughello autem *T. II. op. cit. num.* 22. *col.* 590. appellatur *Raynaldus*; atque ad id opi-

dem vero Forlivium Columna profectus quinto Cal. Octob., cujus Praefectus Urbis, Capitaneum dicebant, erat Nerius Bardus (1) Florentinus, eo totius Provinciae conventum indixit, conveneréque ad dictam diem Bononiae, ceterarumque Flaminiae Civitatum Legationes. In eo, Stephanus, quod eloquentia valeret, poſtquam literas, mandataque Nicolai recitavit, quibus obſequium Pontifex à ſubiectis populis, fidemque in primis petebat, Stephano ipſi Provinciae Comiti, ac Rectori maximam jurisdictionem in Provincia eorum, quae ſpectarent ad munus ſuum, ſtipendiis potiſſimum in milites, ceteriſque ejus negotii redimendis praeſtabat, diſſeruit innocentiſſimi Pontificis in eo defixas eſſe curas, cogitationeſque omnes, ut ſub optimo Romanae Eccleſiae imperio, ac patrocinio (nam Pontificum Maximorum dominatus, pro patrio in ſubjectos populos animo, patrocinium libentius, quam imperium poſſe nomi-

id opinandum inductum ſe fatetur ab auctoritate *Actorum* Concilii Ravennatis anno 1286. celebrati; ſed in his apud Rubeum *op. laud. pag.* 836. Epiſcopus noſter ſola littera R. notatur.

(1) Nimirum è familia *Bardia* Florentiae nobiliſſima, ſeu potius *de Bardis*, uti legitur etiam *in Annal. Caeſenat. col.* 1107. apud Muratorim *T. XIV. S. R. I.*

nominari) depoſitis armis integram pacem traherent, et quae Civitates in duas partes abſtractae, quaeque Reſpublicae mediae cum eſſent dilacerabantur, eae conjungerentur, ac reſtituerentur. Quae, et complura alia in hanc ſententiam cum dixiſſet Stephanus, nemo omnium fuit, qui ſuae quiſque nomine Civitatis ſe praeſto dictis futurum, Pontificique Optimo pro eo, ac deberet obediturum libenter, ac prolixe non confirmaret.

Sub id tempus Pannoniae Rex Ladiſlaus (1) obierat; itaque Cardinalem virum praeſtantiſſimum Nicolaus Pontifex Neapolim legavit, qui ejus nomine, atque auctoritate Carolum Martellum Salerni principem Caroli II. Regis Neapolitani priore loco genitum Filium, ejus Regni jure, ac Corona donavit; quod fecit Legatus eodem hoc anno ſexto idus Decembris (2) ſolemni cae-

ni cae-

(1) Rubeus, ut patet ex iis, quae ſcribit paullò poſt, ubi de Nicolai ad Urbem-veterem profectione agit, exiſtimat Ladislaum Chunum Hungariae Regem anno 1289. obiiſſe, quod ſanè falſum eſt; deceſſit enim anno ſequenti decimo quarto calendas Auguſti a Cumanis, quibus utebatur familiariſſimè, occiſus. Vide Pagium *in vita Nicolai IV. num.* 24.

(2) Villanius *op. cit. lib.* 7. *cap.* 134. *col.* 332. ſcribit Carolum Martellum Corona inſignitum fuiſſe

iſſe

Digitized by Google

ni caerimonia, ſed longe Patris majore voluptate, qui id à Nicolao enixe poſtulaverat: quamquam Panvinius, qua ductus ratione plane fateor ignoro, aegre id tuliſſe Patrem, ſcribat. Curavit autem id Pontifex, quod maternae haereditatis jure Regnum illud ad Martellum ſpectare, in animum induxerat; nam abſque filiis deceſſerat Ladiſlaus Rex, quique ad Regnum aſpirabat, Andreas, eamque ſucceſſionem ſuam eſſe dicebat, pro vero is ſucceſſore vix adhuc habebatur (1), innotueratve, quod Venetiis Thomaſina Maurocena, et Stephano quodam in lucem editus eſſet; qui Stephanus in oppido Ateſte, Beatrice Principe Ateſtina ortus, et Ravennae aliquan-

iſſe 6. idus Septembris anno 1290: *il Re Carlo*, en ejus verba, *ſi tornò a Napoli, e il dì di S. Maria vegnente di Settembre il detto Re fece in Napoli, grandiſſima Corte, e Feſta, et fece Cavaliere Carlo Martello ſuo figliolo primogenito, et fecelo coronare del Reame d' Ungheria per uno Cardinale Legato del Papa, e per più Arciveſcovi, e Veſcovi*. Vide etiam Petrum Giannonem *T. III. Hiſt. Civil. Regni Neapol. lib. 21. cap. 3. pag. 151. ed. Hagae-Comitum* 1742.

(1) Hungari tamen eum Regem volebant; hinc paullò poſt Ladislai mortem quinto ſcilicet nonas Auguſti *de Nobilium, et Magnatum Hungariae beneplacito* Corona ornatus eſt, ut narrat Andreas Dandulus *T. II. Chronici col.* 402. apud Muratorium *T. XII. S. R. I.*

quandiu commoratus, indeque profectus Venetias Thomaſinam ibi uxorem acceperat, cum ſe Andreae II. Pannonii Regis Ladislai proavi filium diceret (1).

In ſequente anno, qui nonageſimus fuit ſupra milleſimum ducenteſimum Orbitum ſeſe contulit (2) menſe Junio Pontifex, atque inde ad Centumcellas, ubi diplomate (3) ad ſextum idus Sextilis dato dubia

(1) Confer Dandulum *loc. cit.*, ac Triſtanum Calchum *in Hiſt. Mediol. lib.* 18. *col.* 386. *T. II. Theſ. Burmanniani par.* 1.

(2) Antequam Roma diſcederet, ut Urbemveterem adiret, 13. calend. Junii non minus, quam antea ſe Catholicae Fidei, et libertatis Eccleſiaſticae acerrimum defenſorem oſtendit; cum enim audiviſſet Eduardum Angliae Regem iniuſtis ſtatutis legibus ſacerdotes opprimere, eò Guillelmum de *Heudon*, et Bartholomaeum paullo ante memoratum Legatos ſuos miſit ad eundem Regem hortandum, ut iniuſtas ſolveret leges, pravaſque conſuetudines tolleret. Vide Bremondium *T. II. Bullarii O. P. n.* 19. *pag.* 28. Hoc eodem anno in Syria, et Palaeſtina contra haereticos, et Judaeos, quibus bellorum tumultus impunitatem promittere videbatur, *Sancti Officii* Tribunal inſtituit, judice Philippo a Limborch *in Hiſt. Inquiſitionis lib.* 1. *cap.* 16. *pag.* 62. *ed. Amſtelod.* 1692. Scriptis etiam duabus litteris ad *Priorem* Provincialem Galliae Ordinis Praedicatorum, eidem juſſit, ut novem conſtitueret in Gallia *Inquiſitores*. Confer Bremondium *T. cit. n.* 20. 21. *pag.* 29. *et ſeq.*

(3) Extat apud Vvaddingum *T. V. in Rege-* *ſto*...

dubia quaedam de Poenitentium Fratrum Praefectura, quae acciderant accurate explicavit. Florebat eo tempore Tertius ille à S. Franciſco inſtitutus (1) Poenitentium Fratrum Ordo mirum in modum, compluresque Patricii viri, ac Principes eum habitum induebant, ſanctaſque leges amplexi magna voluntate, ac religione illis ſubjiciebantur. Cujus eſſe exemplo nobis poſſunt Ludovicus Gallorum Rex (2), ejuſque mater Blanca Caſtulonenſis Regis Filia (3), Eliſabet etiam Andreae Panno-

niae

ſto Pontif. num. 45. *pag.* 538., ſed hujuſmodi diploma apud Urbem-veterem datum eſt, non verò apud Centum-cellas, quemadmodum aſſerit Rubeus.

(1) Anno 1221. menſe Junio apud *Canariae* oppidulum prope Aſſiſium. Conſule Vvaddingum *ad eum ann. num.* 12.

(2) Plures ſunt ſcriptores, qui exiſtimant S. Ludovicum IX. Galliae Regem Tertio Ordini S. Franciſci nomen haudquaquam dediſſe. At non deſunt antiqua monumenta, quibus oppugnari illi queant. Vide doctiſſimum Sbaraleam *T. I. Bullarii Franciſcani in not. ad Bullam* 5. *Gregorii IX. pag.* 29.

(3) Ac Ludovici Thuringiae Lantgravi uxor anno 1231. decimo tertio cal. Decembris mortua, quadriennioque poſt inter ſanctos relata. Angelus Manrique *in Annalibus Ciſtercienſ. ad ann.* 1229. *cap.* 4. *n.* 9., *et* 10. Inſtitutum Ciſtercienſe amplexatam fuiſſe aſſerit. Contra, Vvaddingus *ad eundem ann. n.* 6., *et ſeq.* Tertio Ordini S. Franci-

ſci adju-

niae Regis Filia (1), Eleazarus in Narbonenſi Gallia Ariani Comes (2) et alii praeterea (3). Itaque in eo diplomate Pontifex poſtquam inſigni non minus eruditione, quam pietate de Pontificis Maximi auctoritate, deque munere Apoſtolicae ſervitutis, ipſis ejus verbis utor, diſſeruit, cujus ſunt partes curare, novo ut faetu Eccleſia perpetuo augeatur, ad ceterumque gregem optime inſtitutus adducatur, quoniam ea conditione natus homo eſt, ut perinde quaſi terreum vas imbellicitatem extimeſcat, facile frangatur, reparetur difficulter: oſtendit, qua diligentia ejus Eccleſiae fidelibus cavendum ſit, ut quae à Summi Pontificis doctrina, inſtitutioneque ſubminiſtrantur veritatis, ac ſinceritatis innocentia, ab ea, aut à ſe rejicienda, aut obtre-

ſci adjudicandam eſſe arbitratur. Rem ita ſe habere cuicunque teſtimonia tum à Vvaddingo, tum à clariſſimo Sbaralea *op. cit. in notis ad Bullam* 170. *Gregorii IX. pag.* 163. adducta ſedulò examinanti patebit.

(1) B. Blancam Tertii Ordinis habitum induiſſe, etſi plures negant, affirmat Arturus *in Martyrologio Franciſcano in not. ad diem* 30. *menſis Novembris*, et alii multi Auctores ab ipſo laudati.

(2) Cujus dies feſtus recolitur 5. cal. Octobris. Arturus *op. cit.* plura de S. Elzeario tradit.

(3) Horum non paucos numerat Bartholomaeus Piſanus *lib.* 1. *Conformit. par.* 4. *fructu* 8. *fol.* 107

obtrectanda ne procul abeant, quando, uti docet Apoſtolus (1), qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit.

Quoniam vero ex eo Poenitentium Ordine plerique, qui Conventus ſuos viſitarent, ac confirmarent ex familia Fratrum Minorum, non modo renuebant accipi, ut prioribus literis ſuis Nicolaus conſuluerat (2), verum etiam audebant aſſerere, qui Pontificis conſilium illud ſequerentur, eos pervenire ſalvos ad coeleſtem patriam non poſſe, et inſtituebantur, qui ſecus facerent, omnes in eoſque inquirebant; Nicolaus par eſſe affirmans ob reverentiam adverſus Sanctum Virum illum, qui duorum illorum Ordinum fuiſſet auctor, et parens, ut Poenitentes ejus familiae Fratres Minorum Fratrum doctrina in viam inducerentur, regerenturque, decernit, qui ſuum conſilium amplecterentur ab Eccleſia gratiam eos inire, et omnibus, quae data ad eam diem à Sede Apoſtolica illi Ordini eſſent, quaeque in poſterum tribuerentur, privilegiis ornari, qui contra dicerent, impedimentove eſſent ita à Praefectis locorum compeſci, ut impedire deſinerent.

 Atque

(1) *Roman.* 13. *v.* 2.
(2) *Cap.* 16. Has litteras memoravimus *pag.* 77.

Atque haec ibi Nicolaus, qui Orbitum deinde reverſus, cum ejus permiſſu aedificari pulcherrimum Templum jam coepiſſet (1) ad ejus celeberrimi miraculi memoriam, monimentumque, quod ſex, et viginti jam annos in Sacratiſſimae Euchariſtiae Hoſtia Vulſinii acciderat (2), Nicolaus primum jecit fundamenti lapidem, cum eò proceſſiſſet ſolemni Cardinalium omnium, Antiſtitumque agmine, adeſſentque et univerſa Romana Aula, et hoſpites plurimi, omneſque Magiſtratus, omnis nobilitas, populuſque ejus Civitatis, quae Civitas tunc potentia, et opibus plurimum praeſtabat.

Quamquam autem erant fundamenta altiſſima, quae vel deſpectu terrerent, tamen eo deſcendere Pontifex voluit, quem ſecuti ceteri Antiſtites, ſuum quiſque lapidem poſuere, ipſeque imprimis Epiſcopus

(1) Idibus Novembris anno 1290., uti ſcribit Panvinius *in notis ad Platinam in Urbano IV.*

(2) De miraculo, quod anno 1264. in oppido Vulſinii non procul ab Urbe-veteri accidit conſulendi ſunt Benedictus XIV. *de Servorum Dei Beatif., et Beatorum Canonizat. lib. 4. par. 2. cap. 31. n. 24.*, ac *T. I, adnotat. de Feſto Corporis Chriſti num. 533.*, nec non auctores plures, quos ille laudat.

pus Civitatis Franciſcus (1). Ceterum per illa fundamenta in Crucis ſpeciem effoſſa Nicolaus gradiens, in perpetuum certam, eamque magnam poenae peccatis debitae remiſſionem iis, qui ſancte Templum illud inviſerent, indulſit (2). Eo deinde in Templo, licet adhuc minime abſoluto, Mappa, Corporale appellant, reponitur, quæ Sanguine è Sanctiſſimae Euchariſtiae Hoſtia, quam manibus tenebat, dum Vulſinii ſacrificaret, et de tanti Sacramenti veritate ambigeret Sacerdos, manante tincta eſt. Fuit enim ea miraculi illius celebritas omnibus illis regionibus ſummis, infimiſque ita perſpecta, ut Urbanus Quartus Pont. Max., qui tum vivebat, et Orbiti morabatur, anniverſariam ſupplicationem (3), quæ hacte-

(1) Cognomento *de Monaldeſchis* patria Balneoregienſis, qui cum hanc Eccleſiam 15. annis rexiſſet, anno 1295. in Epiſcopum Florentinum electus eſt. V. Ughellum *T. I. Ital. S. n.* 36. *col.* 1473.

(2) Litteras quibus Nicolaus hanc remiſſionem conceſſit, memorat Raynaldus *ad ann.* 1291. *num.* 64.

(3) Urbanum IV. inſtituiſſe ſupplicationem, quae ſingulis annis ab univerſa Eccleſia in Feſto Corporis Chriſti peragitur, non modò Rubeus noſter, ſed alii etiam tradunt auctores, imprimiſque Chriſtianus Lupus *T. XI. opp. Diſſert. de Sacris Proceſſionibus cap.* 3. *pag.* 341. *ed. novae*. Verum cum de hac inſtitutione nulla fiat mentio in diploma-

hactenus ſumma veneratione agitur, decreverit, et Divum Thomam Aquinatem Dominicani Ordinis Angelico Doctorem ingenio, de quo ſupra memoravimus, eorum dierum precandi, gratulandique rationem (2) qua hodie Catholica Eccleſia utitur omnis, conſcribere juſſerit.

Bella

plomate Urbani apud Cherubinum *T. I. Bullarii n.* 1.; nulla in ejus litteris ad Evam *recluſam* S. Martini Leodienſis, quae ſunt *T. XIV. Concil. col.* 306.; nulla apud S. Thomam, qui juſſu memorati Pontificis *Officium SS. Sacramenti* compoſuit; nulla demum apud Auctores, qui de die Feſto Corporis Chriſti ab eodem Urbano inſtituto ſcripſerunt; Lupi, et aliorum cum eo opinantium ſententia optimo jure improbatur. De Supplicatione laudata tanquam *divina inſpiratione introducta* primò fit ſermo in Statutis Concilii Senonenſis anno 1320. celebrati *T. XV. Concil. col.* 209.; hinc celeberrimus Zegerus Bernardus Van-eſpen *par.* 2. *Juris Eccleſ. univerſi tit.* 4. *cap.* 5. §. 5. veroſimile putat *eam ſeculo XIV. paulatim invaluiſſe, atque non ſimul in omnibus Eccleſiis, ſed in aliquibus citius, in aliis ſerius fuiſſe inſtitutam ad ſolemnitatem inſtitutae feſtivitatis augendam.*

(2) *Miſſam* ſcilicet, et *Officium*, quemadmodum oſtendit clariſſimus P. de Rubeis *Diſſertat.* 21. *in S. Thomam Aquinatem cap.* 3. contra Vvaddingum, qui *in Syllabo SS. Ordinis Minorum pag.* 69. opinatur, Sanctos Thomam, atque Bonaventuram juſſos ab Urbano fuiſſe eadem componere, ſed probabile eſſe *Miſſam* a Bonaventura, *Officium* a Thoma perſcriptum Summum Pontificem probaſſe.

Digitized by Google

Bella hoc tempore (1) inter Jacobum Siciliae, et Carolum Neapolis Reges denuo emerſerant tempore induciarum, quas Pontifex curaverat jam exacto, et Jacobus Rex cum claſſe quadraginta triremium in Calabriam trajecerat ad obſidendam Hieracim, Locros fuiſſe id plerique putant, ſed illo cum pleriſque praeterea oppidis capto, dum Nicolaus rurſus pacem agitat, Alphonſi Aragonum Regis Jacobi Fratris interitus (2) rem tum compoſuit, tum etiam disjecit. Nam eo accepto nuncio in Siciliam Jacobus ſtatim rediit, mox in Aragoniam, qua perhibent Celtiberos fuiſſe, ejus Regni poſſeſſionem accepturus adnavigavit, pro Rege in Sicilia Friderico Fratre relicto, ad quem patris teſtamento Siculum Regnum ſpectabat, dum Jacobus, decidente abſque filiis Alphonſo, Rex Aragonum fuiſſet (3). Hac de cauſa inter Ca-

(1) Anno videlicet 1291. Conſulantur Fazellus *de Rebus Siculis dec.* 2. *l.* 9. *cap.* 2. *col.* 576. apud Burmannum *T. alias cit.*, et Nicolaus Specialis *Hiſt. Sicula lib.* 2. *cap.* 17.

(2) Qui ſequutus eſt anno memorato 14. cal. Julias teſte Bartholomaeo de Neocaſtro *Hiſt. Sicula cap.* 115. *col.* 1172. apud Muratorium *T. XIII. S. R. I.*

(3) Narrant haec omnia Bartholomaeus de Neocaſtro *cap. cit.*, et *cap.* 117., ac Nicolaus Specialis *loco ante indic. col.* 958.

rolum, Jacobumque ſecutae induciae, verum maritimae tantum, nam bellum terra geſtum, tametſi non admodum magnos progreſſus faceret, haud omnino tamen deſiit.

Interea novi in Flaminia tumultus Nicolai animum plurimum perturbarunt. Nam Stephanus Columna Provinciae Rector, poſtquam Faventiam, Imolam, Ravennam pacate inviſerat, ſe contulerat Ariminum, ut pacem inter Malateſtam è Veruculo, ſuoſque aſſeclas ex una, Rempublicam, Civitatemque Ariminenſem ex altera componeret, quod et factum eſt. Jam confecta pace Malateſtam, ac Filios ad Roncofreddum Malateſtae oppidum relegaverat. Sed accidit menſe Aprili veſperi, dum Mariſcalchi, id autem eſt, ut hoc ego loco puto, Equitum Praefecti, familiares, ocioſe inambularent in Urbe, inter ipſos, et Urſi Arimini Praetoris item familiares inita rixa. Quamobrem à Praetore aeris campani, quod in ſumma turri Praetorii erat, ſonitu ſigno dato accurrit populus, et ſecum una Martinus Cataldus, qui Dux, ac pene Dominus Ariminenſis populi habebatur. Quamquam enim incondita multitudo, et multorum capitum bellua populus dicitur, tamen auctoritatem ſemper,

et ſen-

et ſententiam ſequitur paucorum quorumdam. Praelium ſatis inſigne coeptum inter eos eſt, populareſque balliſtis, atque aliis armorum generibus, ac vexillis pedites, atque equites ad Columnae aedes verſ jaciendis lapidibus, et ſtrenue praeliando concurrunt. Hanc ob rem Malateſtae amici, ſtudioſique convenere in Seclanorum compita, ſeque ibi à popularibus tutati ſunt (1).

In ipſum etiam forum, aliaque loca, qua domus, ac turres erant jactabantur lapides, magnaque tandem cum militibus, et familiaribus Columnae pugna fuit, et ni ſumma ope Montagna Parcitatus vir vel Dantis (2), qui eo tempore vixit teſtimonio in civitate princeps, majora ne fierent, reſtitiſſet, et diſcedere ab armis populares, pedemque referre curaſſet, dubio procul Palatium Columnae ademiſſent; ſed laxata pugna, inſtante Parcitato, ea nocte abjere. Patefacta interim prope Atti Ravignani domum poſterula

G 4 eſt;

(1) Legantur Annales Forolivienſes apud Muratorium *T. XXII. S. R. I. col. 156. et ſeq.* ex quibus haec accepit Rubeus.

(2) *De Inferno can.* 27. Vide Benvenutum Imolenſem *in Comoediam eiusdem Dantis* apud Muratorium *T. I. Antiquit. Ital. Medii Aevi col.* 1106.

eſt; cum enim eo tempore Civium mutae eſſent, plurimumque poſſent in iis Civitatibus factiones, conſueverunt in Urbis moenibus occultas, et quaſi caecas portas minores poſterulas, tanquam poſticulas vocatas, levi opere lapidibus, et cemento obſtructas facere. Per eas, ſi forte majores, praecipuaeque Urbis portae occuparentur, rejectis facile lateribus apertas, amicos ſubſidio introducebant. Quod et nunc accidit, Malateſta, ejuſque ſociis per hujuſmodi poſticum Urbem ingreſſis: qua de re populares fuſi, compluresque metu Urbe abjerunt, multi nihilominus capti, et in Columnae poteſtatem traditi; in iis fuit Martinus Cataldus, qui in quaeſtionem actus, ſe cum aliquot civibus conjuraſſe faſſus eſt, Columnae Provinciae Rectori Urbem eam ut auferrent, illumve, et familiam ejus omnem, ac ſtipendiarios milites trucidarent, aut ſaltem Urbe pellerent, ut ſolus ea potiretur.

Hac proditione vehementer Pontifex commotus ſuſpendio necari Martinum juſſit, reliquos conjurationis ſocios relegari. Itaque ex illis plerique Cremonam, Anagniam alii, quae Urbs Hernicorum eſt in Latio, multi in Sabinos, Aquilam in exilium emandati. Ad haec Stephanus in ipſo

Ari-

Arimini Praetorio gravi edicto pronunciato ex Bernardi (1) Epiſcopi Portuenſis tunc Cardinalis, et Legati Apoſtolici jam promulgatae ſuperioribus annis ſententiae formula, Urbem Ariminum honore, dignitate, privilegiis, agro, Praetura, et omni demum jurisdictione mulctavit. Mox Andream Montagnam virum prudentia, et nobilitate inſignem, amplis honoribus uſum Civitati Praetorem dedit (2).

Per hunc modum Ariminenſibus rebus compoſitis, Ravennam cum ſuis proficiſcitur, cujus tum civitatis Hoſtaſius Polentanus Guidi filius Praetorem gerebat. Erat tum Praetura in Italia circiter centum, et viginti octo annos ab Friderico primo Caeſare jam inſtituta, et copiis ad bellum conſcribendis, et jure dicundo ſummae pene in civitatibus auctoritatis, praeterquamquod populari plurimum ſubjecta inconſtantiae, mutabilitatique in praefinitum tempus dabatur. Quem temporis quaſi limitem tollere cum Polentani, et aliarum

rum

(1) Is erat natione Gallus, e familia *de Languisſello*, qui a Martino IV. in Cardinalem electus, ab eodem legatus eſt in Flaminiam, multasque alias Provincias. Conſule Oldoinum *T. II. op. alias cit. in Martino IV. n.* 1. *col.* 238.

(2) Confer Annales memoratos *loco cit.*

rum Civitatum optimates quaererent, in annum primo, mox in diuturnius ſpatium prorogari ſibi Praeturam curabant ab iis Magiſtratibus, et Senatu, quos ipſi et publice Praetoria, et ſua privatim auctoritate, quibus plurimum in civitate valebant, illis Magiſtratibus ornandos, et in eum Senatum cooptandos curaverant, ſuarumque partium fecerant; atque hac ratione ſenſim in abſolutum dominatum civitatum irrepebant: praeſertim quod Pontifices Maximi bellis agitati, et negotiis impediti; quae quod inter magnos Principes eſſent ſpecie quidem habebantur longe majoris momenti, abditos hoſce, latenteſque dolos vix ſentire poſſe videbantur. Quapropter cum Ravennam Stephanus veniſſet Ravennates inter ſe Cives pacaturus, ut ſuis literis, quas nos legimus Nicolaus Pontifex teſtatur, ab Hoſtaſio, et Lamberto Polentanis Fratribus Urbis arcem tradi ſibi poſtulavit. Id cum Polentani recuſarent, metuerentque propterea, ſibi à Stephano neu per vim claſſes ipſe extorqueret, quamquam Guido pater Florentiam, Bernardinus frater Mediolanum Praetores aberant, tamen amicorum ſatis magna manu equitum, peditumque Ravennam accita, medium Novembrem circiter, ſtata ab eis no-

cte in

ſte in Civitate tumultuatum. Ea occaſione Stephanum ipſum Columnam Provinciae Rectorem, Joannem filium, Mariſcalchum generum Petrum Palombaram, Guidum Pileum, Petrum Frangipanem, Petrum è Segia Judicem, Angelum Signinum Medicum, et ex ejus familia reliquos, equites etiam, et ſtipendiarios milites ex improviſo oppreſſos coeperunt, et in carcerem, ac vincula conjecerunt (1); bona eorum, arma, equi, quos gregarios decem, egregios, et generoſos, unum ſupra centum fuiſſe, certum eſt, direpta.

Is nuncius jam ante exulceratum Ariminenſi conjuratione optimi Pontificis animum ſupra quam dici poteſt momordit, idque

(1) Stephanus Columna in carcerem a Lamberto, et Hoſtaſio conjectus eſt anno *1290.*, vel idibus Novembris, ut legitur *in Annalibus Caeſenat. col.* 1106., vel 16. cal. ejusdem menſis, quemadmodum ſcribit Villanius *op. cit. l.* 7. *cap.* 143. *col.* 336. Bartholomaeus *della Pugliola* Ordinis Minorum *in Chron. Bononienſi T. XVIII. S. R. I. col.* 296., et Bartholomaeus Ferrarienſis O. P. *in Polyhiſtoria T. XXIV. op. cit. col.* 701. opinantur, Stephanum in vinculis poſitum anno praecedenti, quibus cum repugnent Villanius, Annales Caeſenat. paullo ante memorati, Chronicon Parmenſe *T. IX. op. cit. col.* 820., et Franciſcus Pipinus *in Chron. cap.* 36. *T. cit. col.* 733., arbitror credendum hac in re iis non eſſe.

idque eo acrius, quo Calbuli, Foroliviani, et Flaminii foederis reliqui, ii autem Provinciae primores erant, conjuraſſe in id facinoris, putabantur.

Imolae quoque per eosdem dies tumultuatum eſt, Alidoſio cum amicis, factioniſque ſuae ceteris arma in Nordilios movente: quamobrem advenientibus ex oppido Medicina inde haud procul multis, praelium atrocius, quam pro numero pugnantium editum, pluribus utrinque trucidatis. Ceterum cum Nordiliorum ſubſidio aſſidue equites Bononia venirent, Alidoſius cum ſuis pedem referre, et Urbe tandem excedere cogitur. Itaque à Bononienſi Republica miſſi confeſtim agricolae, qui vallum & foſſas aequarunt munitioneſque diruerunt. Faventiam quoque, ubi Columnae increbuit captivitas, Manfredii coacta multorum manu, ingreſſi, fugientibus inde Acariſiis, Zambraſiis, Rogatis, et Bernardini Comitis Cunii filiis, dominatum ejus civitatis occuparunt, foſſaque, et vallo ſuburbium, quod eſt ad pontis portam, munierunt. Verum conjunctis Acariſii, ceterique urbe pulſi cum Maghinardo è Soſenana (1) conſiliis, copi-

(1) De Maghinardo haec habet Villanius *l. cit. cap.* 148. *col.* 340. „Maghinardo fue uno gran- „ de,

copiiſque, quas ſatis inſtructas, et validas ex amicis contraxerant, haud ita diu poſt, quam profugerant ex Urbe, hora diei tertia in eam ſunt reverſi, paucis ante horis, Manfrediis, qui forſan adverſus tantam copiarum molem poſſe urbem tutari diffiderent, abeuntibus. Ejus urbis Praefecturam Maghinardus, et Lambertus Polentanus Guidi filius iniere. Ariminenſis Praetor, quem Stephanus Civitati diſcedens praefecerat, ita uti ſupra memoravimus, hac eadem inſigni rerum perturbatione ex urbe evolavit: Urbis dominatum Malateſta accepit, et in ſex menſes Rodulphinum Galiſidium Caeſenatem Praetorem deſignavit (1).

Univerſae Flaminiae judices Caeſenae tum erant tres. Andraeas Ceſius (2), Gentilis è Sancto Elpidio, et Ferapecora Parmenſis: ii aſſentire illis Caeſenates, qui Stephanum coeperant, cum intelligerent, viderentque ſe tutos ibi eſſe non poſſe, multis

„ de, e ſavio Tiranno, et ſue della contrada tra „ Caſentino, et Romagna, grande Caſtellano, et „ con molti fedeli, ſavio fù di guerra, et bene „ avventuroſo in più battaglie, et al ſuo tempo „ fece gran coſe: Ghibellino era di ſua nazione, „ et in ſue opere „

(1) Conſulantur Annales Forolivien. *col.* 158.

(2) *De Segia* dicitur in Annalibus laudatis.

multis quotidie indecoris ſuccedentibus rebus, longe melius ſibi conſultum putantes, ſi inde quamprimum abirent, in Riverſanum Archiepiſcopi Ravennatis oppidum, mox aliquot poſt diebus Forlivium, quae tunc Civitas populari libertate adminiſtrabatur, ſe contulere: ibi à populo, qui Eccleſiae Romanae juſſis, quod et ceteri populi ſuae quiſque Civitatis affirmabant, obſequi perpetuo velle profitebatur, in tutelam accepti.

Graviter, moleſteque tulit haec Pontifex, ac Petro Saraceno Legato in hac Provincia ſuo mandavit, ut inſigniendis cruce Provincialibus, in officio continere illos pro virili parte niteretur. Quod Petrus Forlivium et ipſe profectus diligenter fecit, advocataque ſaepe concione crucis ſigno decorabat, et remittebat multa, condonabatque iis, qui apud ſe eſſe, ſuoque praeſidio, ac defenſioni vellent. Verum menſe Decembri ad XIII. Cal. Jan. Maghinardus, et Lambertus Faventiae Praefecti, Guido Polentanus cum Ravennatibus, Malateſta cum Ariminenſibus, Cervienſibus, Foropompilianis, Britonorianis, cumque Toſolino Abbatis (1), et omni peditum

(1) Annales memorati Toſolinum *de Abete* cognominant.

ditum eorum, atque equitum manu Forlivium per portas S. Blaſii, et S. Petri repente ingreſſi nullo neque damno, neque vi cuiquam illato, ejus etiam dominatum Civitatis occuparunt: Praetoribuſque ibidem deſignatis, Ugulino cognomento Cignatta (1), et Guido Polentano, eodem die abierunt.

Nicolaus tanto malo, qui latius manabat in dies, acrioribus remediis ſubveniendum ratus, dum eſſet Orbiti. XI. Cal. Januarias Flaminiae Comitem, Rectoremque crea-

(1) In Annalibus indicatis *col.* 158. cognominatur *Cignatu*. In iisdem Annalibus, quos ferè exſcribit, et ſequitur Rubeus noſter, legitur haec omnia accidiſſe anno 1290. Quod attinet ad Urbis Forolivienſis occupationem, exiſtimat Villanius anno ſequenti accidiſſe; ait enim *loco ſupra cit.* „nel „ detto anno (1291) eſſendo tutta la Contea di „ Romagna all' ubbidienza di S. Chieſa ſotto la „ guardia del Veſcovo d' Arezzo, che n' era Con„ te per lo Papa, Maghinardo da Suſinana con „ certi gentili, e grandi huomini per furto pre„ ſero la Città di Forlì, et in quella preſono il „ Conte Aghinolfo da Romena co' figlioli, il qua„ le era Fratello del detto Veſcovo, et aſſediò „ il detto Veſcovo in Ceſena, onde ſurſe grande „ guerra in Romagna „. De anno quo captum eſt Forolivium idem ſentit Benvenutus Imolenſis *in Comment. in Comoed. Dantis* apud Murat. *T. I. Antiq. Ital. medii aevi col.* 1107. qui praeterea ſcribit id accidiſſe *die* 23. *Decembris die Dominica*,

creavit, Ildebrandinum (1) Epiſcopum Aretinum è Comitum Guidorum gente, virum et nobilitate, amplitudineque familiae, et virtute ſua ad id muneris longe aptiſſimum mandatis additis, ut una cum Petro Saraceno Legato daret operam, Stephanum, captivoſque omnes libere è cuſtodia dimitti, et cognita cauſa acerrime noxios puniri.

Caſtrocarum (2) primo, mox Forlivium Florentinorum Legatis comitatus, Ildebrandinus pervenit, literaſque ſtatim ad Ravennatem Rempublicam, Hoſtaſiumque, et Lambertum Polentanos ſcriptis mandavit Pontificis

(1) Annales laudati *col.* 159. Ildebrandini electionem in Flaminiae Rectorem referunt ad annum 1291. Cum viderim hos Annales, quod attinet ad Chronologiam non multum accuratos, vix, ac ne vix quidem dubito, quin Rubeo (cui Villanius, Paullinus *di Piero*, ac Benvenutus Imolenſis praeivere) potius habenda ſit fides, qui Ildebrandinum electum anno 1290. ſtatuit, quemadmodum apparet tum ex his, quae habet hoc loco, tum ex iis, quae narrat paullò poſt. Cum in Flaminiam perveniſſet Ildebrandinus *poco tempo appreſſo tutte le terre di Romagna recò per pace, et accordo a obedienza ſua, e della Chieſa*, inquit Villanius *lib. cit. cap.* 143. *col.* 336. Vide etiam S. Antoninum *par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 6. §. 8. *fol.* 65.

(2) Tradunt memorati Annales ad Caſtrumcarum perveniſſe menſe Auguſto; quod tamen pugnat cum iis, quae poſtea narrant, uti ex mox dicendis conſtabit.

tificis nomine, juſſuque Stephanum, et ſocios è cuſtodia educerent, et tribus Florenorum aureorum millibus numeratis, eorum damna ſarcirent. Perturbarunt plurimum hae literae Civitatem omnem, ſed vario animorum ſenſu Polentanos, et eorum ſtudioſos, quod moleſte ferrent ſolis ipſis dependendum, quod à multis direptum fuerat multis ex uſu: reliquos cives patriae amantiſſimos, quod dolerent, male affici pecuniae mulctatione Rempublicam, quae longe abeſſet à culpa: Satis enim conſtare penes viros uſu rerum peritos poterat, Polentanos, ſi liceret id ex eorum progreſſu conjicere, quod et Cives, qui plurimum gratia, et auctoritate valent, facere plerumque conſueverunt, privatis ſuis cauſis publicum nomen praetexuiſſe, ut majori apud judices auctoritate actae, quemadmodum utilitas ad eos omnis, quocumque caderet res, manaret, ita cum ſecus eveniſſet, communis eſſet, aut omnis, aut certe maximam partem jactura.

Ceterum cum Hoſtaſius, et Lambertus cum privato ſuo, tum publico civitatis nomine praeſtare, quod imperatum eſſet, negarent: Ildebrandinus indicto Forlivium conventu, quo Oratores, et primarii Cives Ariminenſes, Caeſenates, Foro-

liviani, Faventini, Bononienſesque convenerant, interfueruntque ii, quos ſupra diximus Florentinorum Legati: ut melius de controverſiis publicis conſtitueretur, decrevit omni mulcta Rempublicam Ravennatem, ac Polentanos liberare, omnium injuriarum abſolvere, dum Stephanum, ac ſuos è cuſtodia liberos dimitterent. Hoc decretum per literas Forlivii XI. Cal. Februarii anno 1291. datas, Polentanis ſignificavit, eo addito, ut Faventiam adduceretur Stephanus, captivique omnes, ibique Hoſtaſius eos in manum Ildebrandino traderet. Accepit conditionem Hoſtaſius vel hortante Bernardino fratre, qui ad tantae perturbationis nuncium abdicata Mediolanenſi Praetura Ravennam venerat. Quamobrem eodem menſe ad nonum Kal. una cum Liutio Balbo Reip. Ravennatis Syndico in campis prope Faventiam Ildebrandino liberos in manus tradidit Stephanum (1) Co-

(1) Ex Annalibus citatis apparet Stephanum libertatem aſſequutum eſſe menſe laudato. Ob levem eorum auctoritatem hoc incertum quidem eſſe reor, ſed non idcirco prorſus concedo liberum evaſiſſe menſe Januario, uti aſſerit Rubeus; nam idem ipſe Rubeus memoratos Annales exſcribens ait paullò poſt, calendis Martii conventu habito Forolivii Ildebrandinum litteras Pontificis legiſſe, quibus

Columnam, Joannem filium, et ceteros omnes. Ildebrandinus contra omni culpa, mulctaque Rempublicam Ravennatem, Hoſtaſiumque liberos in perpetuum eſſe pronunciavit, atque ejus abſolutionis, ac ſententiae formulam ſcriptis mandavit: tametſi Nicolaus deinde Pontifex Joannis Columnae Stephani filii ſtudio, qui id contendebat ut nihil magis, ſarciendis Columnae damnis Florenorum aureorum ſummam prioribus Ildebrandini literis imperatam dependi à Ravennate Republica, et Hoſtaſio voluerit, quod et factum eſt. Stephanus cum ſuis Faventia Aureolum (1) profectus Archiepiſcopi Ravennatis oppidum, et poſtridie ejus diei Caſtrocarium; poſtquam aliquot ibi dies perſtitit, abiit è Provincia: Ildebrandino Rectore, et Petro Legato Forlivii interea commorantibus, ubi conventus iterum Rectorum, Oratorumque, et Syndicorum omnium Provinciae Civitatum Cal. Martii actus eſt. In eo Pontificis Maximi lectae literae, qui-

H 2 bus

quibus Flaminiae Rector conſtituebatur. Porrò autem veriſimile non eſt, prius Rectoris munus exercuiſſe, quam ſe ad eum honorem aſſumptum demonſtraſſet.

(1) *Caſtrum Aurioli* dicitur in Annalibus toties laudatis.

bus Ildebrandinus Provinciae Rector cum magna auctoritate declarabatur, legeſque latae toti Provinciae communes, decretumque, ut Ildebrandino quotannis viginti Florenorum millia à civitatibus Provinciae ad perſolvenda ſtipendia numerarentur.

Hoc interim ſpatio Pontifex re omni ita uti acta fuerat, accepta, Ildebrandinique vehementer laudata virtute, pacatam intuens, quieſcentemque Provinciam, eum in rebus ſacris Vicarium ſuum diplomate (1) hac de re ad eum dato, fecit. Itaque Ildebrandinus utraque jurisdictione, ſacrarum, ac prophanarum rerum in Provincia potitus, et fama rerum geſtarum, et prudentiae opinione plurimum florebat. Commorabatur ipſe Caeſenae hoc tempore, ubi acceperat hoſpitio (2) Gerardum Blancum Parmenſem Cardinalem revertentem è Gallia, quo illum una cum Benedicto Cajetano Romano Cardinale Pontifex legaverat, ut pacem inter Philippum Gal-

(1) Hujuſmodi diploma accepit Ildebrandinus menſe Junio, ſi *Annalibus cit.* fides.

(2) Cardinales Gerardus, et Benedictus poſtea Bonifacius hujus nominis VIII., de quibus plura loquitur Oldoinus *in Acceſſionibus ad Ciaconium T. II. col.* 225., & 244. e Gallia revertentes, Flaminiam ingreſſi ſunt nonis Aprilis anno 1291., prout legitur *in Annal. Forolivienſibus*.

Galliae, et Odoardum Britanniae Reges acerbo inter ſe bello decertantes (1), componeret. Videbat enim optimus Pontifex eos et proprio ſanguine cruentari, et Regna ſua evertere, et quod maxime omnium Pontificis animum angebat à nobiliſſimo, et Chriſtianis Principibus longe digniſſimo victoriae genere abduci, quo in Syria adverſus Sultanum pro re Romana, pro religione Chriſti Dei, pro Chriſtianis miſere afflictis, et in Urbe Acri, quae fuit veteribus Ptolemaida (2) acriter obſeſſis, et opem undique aſſidue implorantibus uti poterant.

Premebat tunc bello, et circumſedebat Ptolemaida Sultanus, cum in ejus eſſent exercitu equitum ſexaginta millia, peditum centum ſexaginta (3): majorique, quam

(1) Contentiones inter memoratos Reges ortae ſunt anno 1289. Cardinales ad illas componendas eò miſſi *parum ibidem profecerunt* teſtibus Ptolomaeo Lucenſi *l.* 24. *H. E. cap.* 26. *col.* 1197., Theodorico Niemo *in vitis RR. PP.* apud Ecchardum *T. I. op. alias cit. col.* 1462., aliiſque.

(2) De variis hujus Urbis maritimae in Phoenicia apud fines Palaeſtinae poſitae nominibus, legatur Calmetius *in Diction. Biblico* ad verbum *Ptolemais*.

(3) Marinus Sanutus *op. cit. lib.* 3. *par.* 2. *cap.* 21. *pag.* 230. apud Bongarſium *T. II. Geſtorum*

quam unquam antea ſtudio Nicolaus, qui dolebat, rem Chriſtianam quotidie in pejus ruere, inſignem peccatorum remiſſionem iis indulſerat, qui Crucis accepto ſigno, aut in Syriam ad bellum navigarent, aut expeditionem aliqua ratione juvarent (1): denuoque ad Chriſtianos Principes converſus,

rum Dei per Francos ita ſcribit: *MCCXCI. quinto Aprilis* (Sultanus *Seraf* vocatus) *undique obſedit Ptolemaidam Civitatem: in exercitu enim ſuo habuiſſe dicitur LX. millia equitum, et CLX. millia peditum*. Militum numerum multum auget Dandulus *op. cit. col.* 403., ubi ait Sultanum ad obſidendam Ptolemaidem veniſſe *CCm. equitum, peditumque CCCm. comitiva*. Sed arbitror Sanuto potius hac in re credendum eſſe. Quod ſcribit idem ipſe Sanutus de die, qua Sultanus Urbem aggreſſus eſt, de arctiori obſidione accipiendum eſſe reor; nam ex Fratre Arſenio Monacho S. Baſilii, cujus verba exhibet Bartholomaeus de Neocaſtro *op. cit. cap.* 120. *col.* 1182., ex Anonymo *de excidio Urbis Acconis l.* 1. *narrat.* 2. *col.* 768. apud Martene, et Durand *T. V. Colleſt. Vet. Monum.*, Cornelio Zantfliet *in Chron. T. cit. col.* 126., et Nangio *in Chronico* apud Dacherium *T. III. Spicilegii pag.* 48. erudimur, Chriſtiani nominis hoſtes ſub menſis Martii dimidium ad infelicem Urbem Ptolemaidam appropinquaſſe.

(1) Munus excitandi fideles omnes ad res Chriſtianas contra Saracenos juvandas commiſſum fuit Patribus Dominicanis, et Franciſcanis. Vide Bzovium *ad ann.* 1291. *n.* 6., Vvaddingum, Raynaldum, et Bremondium.

Google

ſus, hortatus eſt (1) hanc illi provinciam liberandae ad hoſtibus Syriae maximo animo ſuſciperent, quando totum fere robur Chriſtiani nominis ſecum deferrent, et eorum muneris eſſet ipſa arma, quae tam acriter vibrabantur inter illos, pro fidei Chriſti propugnatione adverſus impios hoſtes convertere. Ad haec gravi edicto, ut hoſtes Eccleſiae notavit, et inferorum poenis devovit, qui non modo arma, lignaque, quod jam pridem fuerat vetitum, ſed quaſcumque merces Alexandriam, ad ceteraque Aegypti Sultano ſubiecta loca deveherent, ut adhuc legitur eo Nicolai diplomate (2), quod Extravagantem appellant. Neque vero iis tantum, qui ea in illas regiones importarent, dirae obnunciantur, ſed et iis qui mitterent, faverentve, aut conſulerent, et qui muneris quidquam in ipſis navibus ſuſciperent, aut permitterent ſuis è portubus educi.

(1) Litteras, quibus Nicolaus viros Principes Occidentales, atque Orientales exhortatus ad hoc eſt, laudant, et earum nonnullas recitant Raynaldus *ad hunc ann. n.* 20. *et ſeq.*, ac Vvaddingus *ad eumdem an. n.* 3. *ſeq.*

(2) Hujus argumenti diploma incipiens: *Multa mentis &c.*, quod eſt *in Extravagant. Communibus lib.* 5. de Judaeis *fol.* 30. *ed.* 1544. non eſt Nicolai IV., ſed Clementis V., qui tamen fatetur ſe Nicolai ſententiam confirmare.

Complures (1), in primiſque Flaminii ſigno Crucis ſuſcepto, quemadmodum et ſuperiore anno fecerant, propriis ſtipendiis navigarunt in id bellum, multi juverunt milite, pecuniaque. Ipſe quoque Pontifex, quamquam ſatis copioſo milite ſua pecunia conducto ad duo millia, et quingentos ſumma ope adeſſe labentibus rebus niteretur, tamen neque eo aere addito, quod Eccleſiaſticae ditionis populi contulerant, tantum potuit nummorum cogere, quantum ſatis eſſet in ſumptum viginti triremium (2), quas per Nicolaum Quirinum,

(1) *In Chronico Eſtenſi* apud Muratorium *T. XV. S. R. I. col.* 341. haec leguntur: *multae gentes, et generationes hominum tam in partibus Lombardiae, quam Tuſciae, Romandiolae, Marchiae Anconitanae, et Marchiae Triviſanae unanimiter ſe diſpoſuerunt ire ultra mare in ſubſidium terrae ſanctae, ſcilicet Acri, quae obſeſſa erat a Soldano Babiloniae. Et de Civitate Parmae de ſigno Crucis ſignati fuerunt plures, quam quingenti.*

(2) Exiſtimat Rubeus Pontificem viginti triremes in Syriam miſiſſe obſeſſa jam Ptolemaide; quod ſanè falſum eſt, cum eas miſerit poſt occupatam Urbem Tripolitanam; ac proinde annum integrum, et ultra antequam Ptolemais cingeretur militibus; tradit hoc Sanutus *op. cit. cap.* 20. *pag.* 230., et colligitur etiam clariſſimè ex Nicolai IV. litteris ſcriptis ad Nicolaum de Hanapis O. P. Patriarcham Jeroſolymitanum anno 1289. idibus Septem-

rinum, et Marcum Bembum, miſſo ad id Tripolitano Antiſtite, à Venetis poſtulabat.

Cum igitur res parum procederet, tandem Magiſtro (1) Templariorum ſpectata, et perpetuo memorabili virtute clariſſimo, cujus in primis ductu ſtrenue res gerebatur, in ipſa media propugnatione interfecto, ad XIV. Cal. Majas non abſque inſigni Chriſtianorum clade, cum deſiderati fuiſſent ex noſtris, ut tradunt plerique, ad ſexaginta millia (2), Sultanus Ptolemaide potitus eſt (3).

Vrbis

ptembris apud Bremondium *T. II. Bullarii O. P. num.* 11. *pag.* 24., quibus Pontifex monet Patriarcham, triremes Syriam verſus vela dediſſe ventis.

(1) Templariorum Magiſter a Villano *lib.* 7. *op. cit. cap.* 144. *col.* 337. vocatur *Petrus di Belgiù* vel *di Belgui*. At doctiſſimus Cangius *in Gloſſario mediae, et infimae latin.* ad verbum *Templarii* oſtendit, *Guillelmum de Bellojoco* nuncupatum fuiſſe. Confer etiam Raynaldum *ad ann.* 1291. *n.* 7.

(2) In primis S. Antoninus *par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 6. §. 9., quamquam alio loco, nimirum *tit.* 24. *cap.* 9. §. 11. ait Chriſtianos mortuos fuiſſe pluſquam triginta millia. Longè maiorem faciunt eorum numerum alii auctores. Conſule celeberrimum P. Bertium *T. II. Breviarii H. E. in Acceſſ. ad ſec.* 13. *pag.* 108. *edit. Piſanae*.

(3) Errat Rubeus noſter ſcribens Sultanum Ptolemaide potitum eſſe *ad XIV. calendas Maias*; nam illam occupaſſe decimo quinto calendas Junii narrant Sanutus *loco cit. pag.* 231., Joannes Iperius

Digitized by Google

Urbis deſperata jam ſalute multi, ingredientibus illam Saracenis, fuga elapſi, navibus in Cyprum trajecerunt. Omnium poſtremus Civitatis Antiſtes haud ita magna navi multos aſſidue ruentes potius in eam, quam fugientes, excipiens, dum reiicere quemquam impium ducit, omnes peſſum eunte navi demerguntur; qui Chriſti Dei Cruci ſuffixi imaginem praeferebat uno incolumi evadente, cum antea plurimi etiam, quod ſeſe mari, tum forte tempeſtate intumeſcenti, atque vehementer agitato committe-

rius *in Chron. S. Bertini par.* 4. *col.* 770. apud Martene, et Durand *T. III. Vet. Anecdot.*, Jordanus *in Chron. cap.* 235. *col.* 1017. apud Murat. *T. IV. Antiq. Ital. medii aevi.*, Bartholomaeus de Neocaſtro *loco cit.*, et alii non pauci antiqui, fideque digni ſcriptores. Cur *Ptolemais* a Saracenis capta fuerit, indicat Frater Arſenius memoratus apud eundem Bartholomaeum *loco cit.* Nicolaum alloquens: *jam oriuntur in Urbe diſſidia; Piſanus populus, et adſtantes Veneti Religioſorum non patiebantur imperia. Cruceſignati tui dum crederemus pro victoria Crucis animas tradere, Baccho vacabant; et dum tuba ad arma populum excitaret, illi circa mollia dediti, Marte poſtpoſito, ab amplexibus Veneris pectus, et brachia non ſolvebant. Et quod deterius fuit Fratres Hoſpitalis Sancti Joannis, ac Domorum Militiae Templi dedignabantur alter alterius uti conſiliis, et ſuſtinere vices, ac pondera praeliorum.* Vide etiam Ptolomaeum Lucenſem *lib.* 24. *H. E. cap.* 23. *col.* 1196., ac Villanium *lib.* 7. *Hiſt. Flor. cap.* 144. *col.* 337., *et ſeq.*

Digitized by Google

mittere auſi eſſent, ut abeuntes naves, eaſdemque navigantibus vacuas perſequerentur, fluctibus obruti interierint (1).

Quamquam autem dederat Sultanus Chriſtianis, qui in Templum profugerant, illis ut abire ſalvis liceret, quam ob rem milites Sultani juſſu ferro abſtinebant, tamen barbarae feritatis non omnino obliti ſaeviebant in faeminarum pudicitiam. Itaque diſtrictis, et impetu in Saracenos facto, pulchram mortem oppetentes magis, quam ut tantum dedecoris ferrent, omnes obtruncant Saracenos, mox in proximam turrim delapſi ſeſe in ea aliquandiu ſtrenue tutati ſunt. Ceterum Saracenorum opera tandem corruente turri (2) ruina omnes opprimuntur.

Quod vero acrius pupugit tot anxium curis Pontificis animum ſacrae Virgines fuere, Inſtitutum Divae Clarae, quod Sanctus Franciſcus, ita uti ſupra dictum eſt, praeſcripſerat, profeſſae. Eae cum ad Coenobium

(1) Legantur Sanutus, Iperius *locis indic.*, et Anonymus *de excidio Urbis Acconis l.* 2. *cap.* 12. *col.* 782. Ptolemaidis Epiſcopus erat Nicolaus Patriarcha etiam Jeroſolymitanus paullo ante memoratus, de quo videndus Oudinus *T. III. de Scriptoribus, et Scrip. Eccleſ. ſec.* 13. *col.* 594.

(2) Quae vocabatur *Turris Magiſtri*. Vide Sanutum, et alios auctores ſupra memoratos.

nobium ſuum, ubi caecis parietibus clauſae ſancte vitam agebant, adventare Saracenos noviſſent, ut unde ſtuprandarum mulierum libido capere viros plerumque ſolet, inde acciperent tuendae pudicitiae remedium, et formam ipſae ſuam corrumperent, dum integer pudor, incorruptuſque maneret, mutuis vulneribus ferro ſibi faciem confodiunt (1). Neque vanum conſilium fuit, quando Saraceni illuc ingreſſi, et tam faedo ſpectaculo permoti, omnes ad unam trucidarunt.

Sultanus ut ne quid inultum, aut intactum foret, igne quatuor Urbis locis injecto, ferro, atque igne pene totam abſumpſit. Sidone deinde, et Beryto captis, direptiſque, Syria fere omnis (2), pulſis inde Chriſtianis, in Sultani ditionem venit, tanto Nicolai moerore, ut nunquam praeterea ſummus ille angor exciderit ex animo.

Cete-

(1) Ad hoc faciendum hortata illas eſt Monaſterii *Abbatiſſa*, quae prius ob eundem finem *gladiolo ſuo naſum proprium ſibi mutilavit*, inquit S. Antoninus *tit.* 24. *cap.* 9. §. 11. ubi habet, quod etiam *Fratres Minores Conventus, qui ibi erat interfecti ſunt a Saracenis*.

(2) De Urbibus, aliiſque locis a Saracenis in Syria occupatis videatur praeter Marinum Sanutum, ac Ptolomaeum Lucenſem, Anonymus S. Crucis *in huius Hiſt. Append. n.* 4.

Ceterum cum adhuc eſſe ad Cyprum triremes aliquot integras accepiſſet, magnopere hortatus eſt, darent operam, ut primo quoque tempore ad Quandelorium caſtellum magni ad id, quod pro recipienda Syria inſtituerat momenti cum viginti triremibus properarent. Imperata Pontificis facta, eoque adnavigatum, ſed cum interea à Saracenis, quod et noſſent ipſi loci opportunitatem, munitum fuiſſet, re fruſtra tentata Alexandriam profecti ſunt, ibique aliquot dies commorati, in Cyprum rediere. Hac de re Sultanus plenus ſpei majoris, atque animi in Cyprum expeditionem triremibus inſtructis centum parat, et in procerum ſuorum conventu divulgat (1).

His permotus Nicolaus conventum et ipſe celeberrimum edicit. In eo quantum dedecoris, damnique ad Chriſtianum nomen acceſſerit non ſine lacrymis exponit: Tandem re omni in conſultationem diligenter revocata, decrevit, ut poſtero anno (2) in Sy-

(1) Conſulendi Sanutus *par.* 13. *cap.* 1. *pag.* 233., et Iperius *col.* 772.

(2) Anno ſcilicet 1293. in die feſto S. Joannis Baptiſtae, quemadmodum patet ex litteris, quas refert Bremondius *op. cit. n.* 28. *pag.* 33., et ex memoratis a nobis *pag.* 118. *not.* 1.

Digitized by Google

in Syriam adverſus Saracenos traiiceretur, omniumque peccatorum remiſſio iis proponeretur, qui Crucis ſigno ornati ad id bellum exirent: ſperare enim ſe, ut qui jam Conſtantinum Caeſarem hoc primum ſigno uti in bello edocuit, et ejus exercitum, hoc eodem humeris impreſſo, adverſus impium Regem praelio victorem fecit, Chriſtus Deus tunc quoque pro ipſius cauſa pugnantibus adfuturus eſſet: quando et in Lateranenſi Concilio (1) ab Innocentio Tertio Pontifice, et ab aliis deinde Pontificibus (2) Maximis idem in haereticos geſtantibus magnae peccatorum remiſſiones fuerint divino eodem inſtinctu, eventu feliciſſimo datae. Hac de re Nicolaus ad omnium civitatum Antiſtites dimiſſis literis juſſit ſuos quemque conventus habere, et decretum Pontificis pronunciare, et ad eam expeditionem omnes hortari (3), quod et factum eſt.

Inter

(1) IV. anno 1215. celebrato. In hoc enim varia privilegia a Romano Pontifice Cruceſignatis data ſunt, ut videre eſt *T. XIII. Hiſt. Concil. col.* 1007., *et ſeq.*

(2) A Gregorio nimirum IX. *ex Bullario Franciſcano pag.* 139. 234. 296. Ab Innocentio IV. *ex eodem Bullario pag.* 567. 644. *et ſeq.* Ab Alexandro IV. ex Pagio *in ejus vita n.* 37.

(3) Eberhardus Altahenſis *in Annalib. pag.* 222. apud

Inter ceteros reperio, Othonem Vicecomitem Mediolani Archiepiſcopum, conventu habito (1) ſuorum Epiſcoporum, ternas Nicolai ad ſe literas legiſſe. Prioribus ſignificabantur res Chriſtianae in Syria profligatae, perditaeque, et peccatorum remiſſio à Pontifice iis, qui Cruce inſignirentur, data. Alteris mandabatur, ut Antiſtes ſuis quiſque Provinciis, ac Dioeceſibus id invulgarent. Poſtremis, ut Templariorum, ac Hoſpitalariorum Equitum Ordines duo conjungerentur, et unum fierent. Quae cum eſſent propoſita, ſic à Patribus accepta ſunt, ut literae tandem ab Othone ad Pontificem de communi omnium ſententia ſcriptae fuerint, Oratoreſque decreti

222. apud Caniſium *T. IV. Lect. Antiq. ed. cit.* „ mandavit, *inquit*, Papa Nicolaus omnibus Patri- „ archis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, et aliis Prae- „ latis, ut Concilia celebrarent, et deliberarent, „ qua ope, vel conſilio eidem Terrae (*Sanctae*) „ poſſit ſubveniri „.

(1) Otho e Vicecomitum familia cognomento *Magnus* electus in A. M. anno 1261., ac defunctus anno 1295. ex Ughello *T. IV. I. S. n.* 93. *col.* 199., Concilium Mediolani habuit juſſu Nicolai una cum Epiſcopis *ſuffraganeis* anno 1291. quinto cal. Decembris. Vide Corium *Hiſt. Mediolanenſi par.* 2. *pag.* 353., ex quo Rubeus haec omnia deſcribit; ac Triſtanum Calchum *Hiſtoria Patria lib.* 18. *in Theſ. Burmanniano T. II. par.* 1. *col.* 386.

creti, qui apud Pontificem agerent, ſummum ejus belli Ducem Gallorum Regem eſſe vellet, omnes Principes ad id facium bellum incitaret: Pacem inter Venetos, Genuenſes, Piſanoſque, ceteraſque civitates portuoſas conciliaret, ut et in omnes tuto portus penetrari, et ibidem conſiſti poſſet. Ad Templarios, Hoſpitalarioſque Equites ipſi etiam Teutonici ſic adderentur, ut unum facti omnibus unus praeeſſet Magiſter, iſque à Pontifice Maximo daretur.

Haec dum parantur, Nicolaus nullum unquam tempus habens vacuum, nullum liberum ab adminiſtranda Republica, quod potuit in praeſentia ad pacandos Italiae populos, uti ſemper fecerat, incubuit (1).

Orbiti

(1) Incubuit etiam hoc anno 1291., uti ſemper fecerat, ad fidem catholicam diſſeminandam, et ad errores ortos adverſus ipſam convellendos; litteras enim dedit ad Caſſianum, et Savonem Argonis Tartarorum Regis Filios, eos ad veram Religionem amplectendam pelliciens, atque ut facilius id exequerentur, rogavit Anichohaminem, et Dathanaticatum Tartarorum Reginas jam Chriſtianas, ut ipſos ad tantum opus peragendum hortarentur. Vide Nicolai litteras apud Vvaddingum *ad eum ann. num. 6.*, *et ſeq.* Scripſit etiam ad Georgium Bulgarorum Imperatorem, quo illum ad Eccleſiae Romanae unitatem revocaret. Conſule Raynaldum *num.* 38. Flagitantibus Stephano Rege Ser-

Digitized by Google

Orbiti, Monaldenſes, et Philippenſes, Imolae Alidoſios, qui exultabant, et Nordilios, ſcriptis hac de re literis.

Quamquam autem Ildebrandinus cum eſſet Imolae pacem inter eos conciliare non potuit, tamen profectus deinde Forlivium, ibi haud ita diu poſt in populi Praetorio cum Reip. Imolenſis Syndico, et Civibus, qui ea in urbe erant, Alidoſium, et Litum Alidoſios fratres ita conciliavit, ut ingenti populi totius plauſu, Alidoſius civitati reſtitutus, ipſo Ildebrandino reducente, exciperetur. (1). Verum utrarumque partium octo Forlivium ad 5. idus Octobris relegavit, ut eriperetur novis contentionibus occaſio. Ex Alidoſianis praecipui numerati ſunt Litus Alidoſius, Guido Tuſſignanus (2), Bartholinus Undeſantes, qui tamen ipſe ad caſtrum S. Petri amandatus eſt. Ex Nordilianis Nicolaus è caſtro Imolae, Oloricus Nordilius, Petrus Ertus.

I Cum

ge Serviae, eiuſque Matre Helena Fratres Minores in Boſnia *Inquiſitores* adverſus haereſes inſtituit. Adeundi Raynaldus *n.* 43., et Vvaddingus *num.* 12.

(1) Anno 1291., uti conſtat *ex Annalibus Forolivienſ. col.* 160.

(2) *De Tarvignano* legitur *in Annal. memoratis col. cit.*

Cum vero Ildebrandinus deinde Imola proficiſcens, Faventiam verſus contenderet, Faventini in ſuſpicionem adducti, ne ſecum Manfredios quoque in Urbem reduceret, concurrunt ad arma, ſicque inter eos tumultuatum eſt, ut ingredi Ildebrandinus Urbem noluerit, ceterum foris ſubter pontem arcus muros urbis praetergreſſus, ſecum ex Alidoſianis novem, undecim ex Nordilianis Forlivium abduxit. Fuere in Alidoſianis, Alidoſius, Antonius Patarinus, Jacobus Ubertellus. In Nordilianis, Blondus Undeſantes, Bonaventura Rubantes, Nordilius Ardighetti Nordilii filius, is qui, ut puto, ſeptimo poſt anno, ob conjurationem de adimenda Bononienſibus Maſſa Longobardorum, quod eſt opidum Imolae haud procul, capite mulctatus eſt.

In Praetorio Forlivii Ildebrandinus hoſce omnes multis apud ſe diebus eſſe voluit, cum omnes interea paternum pacis ſtudium in optimo Pontifice amarent. Quo etiam factum eſt, ut quamquam ſuperioribus diebus Caeſenates Praetorem noluerint, quem Ildebrandinus illis praefecerat, atque ob eam rem cum omni familia ea Urbe, quo ſe contulerat decedens, Forlivium abiiſſet, Ildebrandinus et aqua, at-

que

que igni Caeſenae interdixiſſet, eamque marchis argenteis mille (1) multaſſet, ipſique ad Pontificem Caeſenates per Syndicum ſuum provocaſſent, paulo poſt tamen miſſis ad Ildebrandinum Oratoribus, ac Syndico, Praetorem libenter acceperunt.

Ita tranquillatis eodem ſuo ſtudio rebus Romanis Nicolaus Orbito ad ſeptimum idus Octobris profectus, remigravit Romam, ibique cum ad Divae Mariae Majoris in Exquiliis aedes pulcherrimas egregia ſtructurae ſpecie, quae adhuc ſemidirutae extant, exaedificaſſet (2), ſex illos, quibus deinde vixit menſes eas incoluit, cum et Templum (3) una cum Jacobo Columna Cardinale reſtituiſſet, et priorem, poſterioremque Lateranenſis partem, quod

 inſcri-

(1) *X. mille* habent *Annales laudati col.* 159.

(2) *Apud Sanctam Mariam majorem, ubi ſatis magna Palatia compleri fecit, eſt converſatus*, inquit ſynchronus Auctor Anonymus *Memorialis Poteſt. Rheg. T. VIII. S. R. I. col.* 1171.

(3) Panvinius *in Lib. de praecipuis Urbis Romae &c. pag.* 238. *ed. Romanae* 1570. ait: *abſidae majoris* (Baſilicae Liberianae,) *quae ſupereſt ornatus e muſivo Nicolaus IV. Aſculanus Ordinis Minorum olim Generalis Miniſter, et Jacobus Columna Diaconus Cardinalis fecerunt*. Vide etiam Ciaconium *in vita Nicolai IV.*, ubi quosdam verſus refert, hoc ipſum ſignificantes.

in ſcriptae literae teſtantur (1), inſtauraſſet, teſſellatoque, ac vermiculato opere ornaſſet, et utramque Baſilicam opibus auxiſſet. Itaque Romae iisdem in aedibus Nicolaus, iis, quos diximus adverſis Reipublicae Chriſtianae caſibus afflictus, pridie Non. Aprilis anno 1292. deceſſit (2), cum Pontifica-

(1) Has litteras exhibent inter ceteros Panvinius *op. cit. pag.* 111., et Raſponus *de Baſilica, et Patriarchio Lateranenſi l.* 1. *cap.* 5. *pag.* 28., ac ita ſe habent: *Partem poſteriorem, et anteriorem huius Sancti Templi a fundamentis reaedificari fecit, et ornari opere muſaico Nicolaus Papa IV. Filius S. Franciſci, et ſacrum vultum Salvatoris integrum reponi fecit in locum, ubi primum miraculosè populo Romano apparuit quando fuit iſta Ecclesia conſecrata; anno Domini* 1291. Idem colligitur ex verſibus, quos recitant Ciampinus *T. III. Opp. de Sacris Aedificiis cap.* 2. *pag.* 9., Panvinius, Marcus Ulyſſiponenſis, Ciaconius, Raſponus, Papebrochius, Vvaddingus, Pagius, et alii.

(2) Pridie nonas Aprilis, quae dies anno 1292. feria ſexta *in Paraſceve* erat, obiiſſe Nicolaum conſtat ex Henrico Sterone *in Annal. ad ann.* 1288. *pag.* 208. apud Caniſium *T. IV. Lect. Antiq.*, ex Ptolomaeo Lucenſi, Bernardo Guidonis, Amalrico Augerio, pluribuſque aliis antiquis Hiſtoricis aliàs a me laudatis; cum primis verò ex Jacobo de Voragine, qui Romae tum verſabatur: ſic enim de ſe tanquam de aliena perſona ſcribit *in Chron. Januenſi col.* 53. apud Muratorium *T. IX. S. R. I.* „cum Romam in Dominica de ramis pal„marum intraſſet, reperit ipſum Summum Pon„tifi-

tificatum Maximum geſſiſſet annos quatuor, menſem unum, dies quatuordecim.

„ tificem gravi, et periculoſa aegritudine laborantem, ita quod in Paraſceve animam Deo reddidit, et ſic credimus, quod in coeleſte palatium introivit „. Itaque longe errant Auctor *Chronici Parmenſis T. cit. col.* 823. ſcribens mortuum eſſe *die Mercurii* 2. *intrante Aprilis*; Dupinus *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccleſ. T. X. chap.* 3. *pag.* 57. 212. 231. *ed.* 1700., Fabricius *in notis ad Trithemium de SS. EE. cap.* 510. *pag.* 125., ac *in Biblioth. mediae, et inf. Latin. T. V. lib.* 13. *pag.* 101. *ed. Manſianae*, et Caveus *Hiſt. Litter. ſaec. ſcholaſt. pag.* 653. *ed.* 1705. narrantes obiiſſe poſtridie idus menſis laudati; Papebrochius *in notis ad vitam Coeleſtini V. a Jacobo Cardinali compoſitam in Praefat. par.* 2. *T. IV. Maii Bolland. pag.* 442., et apud Murat. *T. III. par.* 2. *op. cit. pag.* 615 aſſerens e vita deceſſiſſe 14. cal. Majas; Vvaddingus *ad ann.* 1292. *n.* 6. *pag.* 294., Vittorellus *in Addition. ad Ciaconium*, qui Pontificem noſtrum ſaltem uſque ad undecimo cal. Majas ſpiritum duxiſſe putant; Morerius *T. XII. Magni Dict. Hiſtorici* ad verbum *Nicolas IV.* exiſtimans mortuum eſſe poſtridie idus Auguſti; Mazzara *Leggendario Franceſcano T. X. pag.* 98. *ed. tertiae*, cujus opinio eſt vitam cum morte commutaſſe 4. nonas Octobris; & Auctor vitae huius Pontificis *T. XIV. Hiſt. Concil. col.* 1161., qui Trithemium ſecutus poſterorum memoriae mandavit, Nicolaum deceſſiſſe menſe Decembri. At enim, inquit Vvaddingus *loco cit.*, inter Nicolai litteras in Tabulario Vaticano ſervatas quaedam ſunt datae undecimo cal. Maias. Jam verò ſi vitiatas has dicamus, nulla erunt

Sepultus eſt ad Divae Mariae Majoris in ſummo Templo juxta monimentum Petri Co-

la erunt monumenta, quae pari facilitate in dubium vocari nequeant. Quandoquidem apertè liquet Nicolaum pridie idus Aprilis obiiſſe dubitandum non eſt, quin memoratae litterae vitiatae ſint. Eruditiſſimus Pagius *in ejus vita n.* 36. errorem in menſe verſari, ac pro *XI. cal. Maji* legendum eſſe *XI. cal. Martii* exiſtimat, quod ſanè veritati conſonum eſſe reor. Cum igitur conſtet ex una parte Nicolaum ad XI. cal. Majas non perveniſſe, et ex altera proclive ſit Amanuenſibus pro *Martii* ſcribere *Maji*, etſi defloratae dicantur, quod attinet ad menſem, literae citatae, perperam infertur cum Vvaddingo de omnium monumentorum veritate ambigendum eſſe. Haec cum ita ſint, exploratum eſt Nicolaum non quatuordecim dies, ut ait Rubeus, ſed undecim tantum ſupra quatuor annos, et menſem unum Summi Pontificis munus geſſiſſe. De aetate, qua vitam cum morte commutavit Sanctiſſimus Pontifex noſter, nemo Hiſtoricorum veterum unus, quantum ſcio, aliquid poſterorum memoriae mandavit. Ego tamen in ea ſum opinione, ut judicem ſexaginta circiter annis ortum occubuiſſe; in lucem enim venerat ſub anno 1234. Conſule *adnotat. pag.* 20. Sexaginta circiter annis natus reprehe ſentatur Nicolaus in duabus etiam imaginibus, quarum una in Lateranenſi, altera in Liberiana Baſilica eſt; ambae ſeculo decimo tertio vertente pictae, uti de prima teſtatur Marcus Ulyſipponenſis *in Chron. Ord. Min. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 21., de ſecunda clariſſ. Montfauconius *Diario Italico pag.* 106. In noſtra *Sacriſtia* Aſſiſienſi ſervatur Calix, quem eidem

Columnae Cardinalis, quod ad noſtram aetatem in vermiculati operis pavimento

I 4 por-

dem dono dedit Pontifex noſter, quemadmodum conſtat ex repertorio anno 1370. facto, in quo *pag.* 21. *a tergo* haec leguntur: *imprimis unus magnus Calix de argento inauratus cum ſmaltis et figuris quem miſit Dominus Nicolaus Papa quartus de Ordine Minorum. et in ſignum huius dictus Papa eſt ibi figuratus et nomen ſuum deſcriptum. et eſt ponderis XLV. unciarum*, una tamen cum *Patena*, quae modò non amplius exſtat. Ex imagine autem Nicolai opere vermiculato, cuius auctor fuit *Guccius Mathie de Senis*, quae in eodem Calice conſpicitur, quaeque Nicolaum ipſum habitu Fratrum Minorum, ac *Pluviali* indutum, et Coronam unico coronamento geſtantem repreheſentat, eum ſenectute ſumma fuiſſe non apparere, ſcripſit ad me eruditus P. Thebaldius. Non admodum ſenem efflaſſe animam colligitur quoque ex Nicolao Speciali *in Hiſt. Sicula lib.* 2. *cap.* 20., ubi inquit, quod *Pontificem praematura, quae ſolvit omnia, mors ademit*. Verum quidem eſt Jacobum Cardinalem *op. cit. in Praefat. par.* 2., *et cap.* 1. tradere ſenio confectum mortem oppetiiſſe. At Jacobus voce *ſenio* non ſignificat extrema aetate, ſicuti interpretatur Fleurius *H. E. ad ann.* 1292. *l.* 89. *n.* 21. *pag.* 471., ſed animi moerore, triſtitiaque obiiſſe Pontificem. Non ſcribo hoc temerè. Principio enim Nicolaum in lucem veniſſe anno circiter paullò antè laudato, nec e vita migraſſe aetate decrepita liquet ex antiquo *Proceſſu* non ſemel citato, et ex monumentis paullo ante memoratis. Nomen *ſenium* aliquando animi afflictionem denotare, exploratum eſt ex Tullio *Orat. pro Milone*

dicen-

Digitized by Google

porphyretico lapide ornato viſebatur (1).

Paulo dicente: *luget Senatus, moeret equeſter ordo, tota Civitas confecta ſenio eſt;* ex Horatio, Plauto, Turpilio, aliiſque. Nicolaum ob occupatam praeſertim Syriam angore confectum eſſe, ſatis declarant Amalricus Augerius *in Hiſt. RR. PP.* apud Ecchardum *T. II. op. cit. col.* 1794., apud Murat. *loco cit. col.*, 433., Platina *in ejus vita*, Bergomenſis *in ſupplem. Chron. l.* 13. *fol.* 322., Sabellicus *Aeneida. lib.* 7. *fol.* 256. *ed.* 1517., et Marcus Ulyſſiponenſis *in Chron. Ord. Minorum par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 21.

(1) Sepulcro illius ad Eccleſiae caput verſus cornu Evangelii poſito ſequens antiquum Epitaphium inciſum erat, quod recitant Papebrochius *in Propylaeo par.* 2. *pag.* 65., Ciaconius, Raynaldus, Palatius, Pagius, et alii

„ Hic tumulus tumulat humilem, qui faſcibus „ auctum
„ Sic moriens ſtatuit oſſa manere ſua.
„ Hunc Franciſcus alit Cardo ut ſit, almaque „ que Petri
„ Sedes magnificat, gratia Dei beat
„ Quartus Papa fuit Nicolaus, Virginis aedem
„ Hanc lapſam reficit, ſitque vetuſta nova
„ Petrus Apoſtolus ſocium, Franciſcus alu- „ mnum
„ Protegat, Omnipotens Matre rogante beat.

Huius Epitaphii verba *Franciſcus alumnum* in cauſſa fuiſſe reor, cur nonnulli Auctores, quos *pag.* 26. *nota* 1. numeravimus, opinati ſint, Nicolaum Ordinem Minorum ingreſſum eſſe antequam Seraphicus Pater e vita migraret. Sed Pontifex noſter Franciſci alumnus vocatur, quia ejus, licet defuncti, Inſtitutum amplexatus eſt, ſicut Petri Apoſtoli ſocius dicitur, quia Cathedram, in qua ipſe ſederat, conſcendit.

Paulo ante Rodulphus quoque Caeſar, is, qui in Auſtriacam familiam Imperium primus intulit, dum à Nicolao ad mittendam obſeſſae Ptolemaidae opem impelleret, exceſſerat è vita (1): Quamobrem inter Adulphum Naſſaviae Comitem, et Albertum Rodulphi filium, cum in Caeſarem ſubrogari debere quiſque obfirmaret, contentiones ſecutae ſunt. Verum quod et Nicolaus Pontifex Alberto parum faverat, et Electoribus fuerat, Rodulpho Caeſare, ſuſpicioſiſſimum tempus, Adulphus Imperator deſignatus eſt (2). Obiit etiam iiſdem pene diebus, quibus Rodulphus, Melechaſayth Sultanus (3); Seraph illi filius ſucceſſit,

(1) Anno ſcilicet 1291. pridie cal. Octobris, ut opinatur Baronius apud Raynaldum *ad eum an. n.* 50., vel potius 18. calend. Auguſti, ut placet Henrico Steroni *op. cit. pag.* 209., aliiſque veteribus. Anonymus S. Crucis *in Append. n.* 4. falsò ad annum ſequentem Rodulphi obitum refert, dicens: 1292. *Rodulphus Rex Alamaniae moritur ſine imperiali benedictione, qui ſua probitate Regnum Alamaniae in magna pace tenuit annis duodecim.*

(2) Calendis Maii anno 1292., quemadmodum certa oſtendunt monumenta apud claris. Manſium *in not. ad Raynald. ad eum an. n.* 21.

(3) A Sanutò *loco cit. pag.* 230. vocatur *Melec-Meſſor*, ab Iperio *op. alias laud. col.* 770. dicitur *Melchineſſor*, a Jacobo Auria *lib.* 10. *Annal. Genuenſ. col.* 596. *T. VI. S. R. I.* appellatur *Alfir*; ab

ceſſit, quem plerique eum putant fuiſſe, qui ab initio Imperii ſui Ptolemaidam, ceteraſque Chriſtianorum Urbes, ut ſupra memoravimus, tam inſigni Reipublicae Chriſtianae damno expugnaverit.

Fuit Nicolaus, ut ex illius imagine (1) licet conjicere, quam in maxima Divae Mariae Majoris, et Lateranenſis etiam Baſilicae teſtudine vermiculato opere conſpicimus, ſtatura mediocri, corpore inter gracile, et obeſum medio, ac bene firmo, grato, et pleno dignitatis aſpectu, naſo nonnihil incurvo, raſa barba. Quod vero longe praeſtat, optima mente (2) Princeps, et in-

ſir, ab aliis auctoribus diverſis nominibus nuncupatur. Quod attinet ad ejus mortis tempus, idem ipſe Auria ita ſcribit: *hoc quoque anno* (1289) *menſe Decembri Alſir Soldanus Aegypti a ſuis plus amiciſſimis, et privatis toſſicatus fuit, et obiit*. Serius è vita migraſſe patet ex Sanuto, et Iperio laudatis, ſiquidem narrant Sultanum menſe Octobri anno 1290. comparato exercitu bellum moviſſe adverſus Chriſtianos in Syria manentes animo omnes deſtruendi, ſed mortuo in itinere ſucceſſiſſe ei filium nomine *Seraf*, ſeu ut ait Iperius *Melechiſeroſ*, qui anno ſequenti Ptolemaidem occupavit. Igitur non obiit iiſdem penè diebus, quibus Rodulphus, ſed longe ante.

(1) De Nicolai Imaginis, quae viſitur tum in Lateranenſi, tum in Liberiana Baſilica, antiquitate diſſeruimus *pag.* 122.

(2) Leo Urbevetanus *in Chron.* *RR. PP. pag.* 336. apud

et integritate vitae ſingulari, quem nullum unquam, neque alicujus ſtudium, neque caecae ambitionis decus tranſverſum egit, et uti graviſſimus auctor Divus Antoninus teſtatur, magna ſanctitatis opinione obiit (1); quo efficitur, ut non poſſim non vehementer mirari, quosdam Hiſtoriarum Scriptores, in quibus eſt Platina

336. apud celeberrimum Lamium *in Deliciis Eruditorum* inquit de Nicolao, quod fuit *in negotiis adgrediendis timidus, et puſillaminis, ac in expediendis tardus;* cui tamen refragantur antiqui Scriptores, Franciſcus Pipinus *in Chron. lib.* 4. *cap.* 23. *col.* 727. apud Murat. *T. IX. S. R. I.* dicens, Pontificem noſtrum magna prudentia praeditum fuiſſe, et Martinus Fuldenſis *in Chron. col.* 1718. apud Ecchardum *T. I. op. alias cit.* ubi ait, quod *in Pontificatu prudenter, et bene ſe geſſit*. Et re quidem vera ſi anguſti, fractique animi fuiſſet, neque tot Summi Pontifices graviſſima negotia ei commiſiſſent, neque ipſe ad Petri Cathedram evectus res maximas, ac difficillimas ullo pacto tentaſſet; quae ſi non ſemper optimè ceſſerunt, non Pontificis noſtri in expediendis negotiis tarditas, animique abiectio, ſed Chriſtiani Principes, quorum auxilio is egebat, in cauſſa fuere; nam hi bellantes inter ſe, nunquam, aut ſerò nimis Nicolai conſiliis acquieverunt eos ad arma in Saracenos convertenda ſtimulantis.

(1) Hujuſmodi verba, me apud S. Antoninum legiſſe unquam, non memini. Hic tantum habet quae *in notis pag.* 30. exibui; ex quibus fortaſſis Rubeus hoc pacto ſcribit.

tina, qui affirment, Nicolaum ſtudia partium, magis, quam deceret optimum Pontificem, ſecutum. Quanquam enim habuit Platina pleroſque (2), qui ejus deinde auctori-

(1) Haec eſt de Nicolao communis Hiſtoricorum querela. Bergomenſem, Fleurium, Muratorium, Anonymum, ceteroſque recentiores, qui Platinam ſequuti ſunt, omitto. Veterum quosdam tantum refero. Villanius *lib. 7. Hiſt. Florent. cap.* 118. *col.* 317. ſcribit Nicolaum Ghibellinis multum faviſſe. Concinit cum Villanio ejus exſcriptor Sozomenus Piſtorienſis *in Chron. ad an.* 1288. *col.* 196. *T. I. Continuat. S. R. I. Muratorii*. Ptolomaeus Lucenſis *lib.* 24. *H. E. cap.* 21. *col.* 1195. ait, quod uni potius, quam alteri factioni adhaeſit; et Anonymus S. Crucis narrat, quod *Columnenſibus* nimium ſtuduit: quae vox Romae quoque erat Nicolai temporibus. Refert enim Pipinus *loco cit.*, in quodam libro, cui titulus: *incipit initium malorum*, pictum fuiſſe Nicolaum in columna totum incluſum capite excepto, quod mitratum apparebat, habentem ante ſe duas alias columnas, in quarum unius vertice caput avis exſtabat roſtro nidum ſuſtinens caput ſenis Clerici complectentem; cum ſequenti inſcriptione: *Nicolaus Papa IV., confuſio, error concitabitur*. Duas columnas ante Pontificis imaginem poſitas, duos Cardinales *Columnenſes*, Jacobum ſcilicet, ac Petrum ſignificaſſe, exiſtimat celeberrimus Muratorius *T. XI. degl' Annali d' Italia ad an.* 1290. *pag.* 216. *ed.* 1753. Sed ego nunquam concedam, Nicolaum hominem fuiſſe factioſum, quemadmodum eum declarant laudati Scriptores; quis enim, Deus immortalis, de viro ſumma vitae ſanctimonia, prudentiaque

ctoritatem ſecuti ſunt, tamen lapſum illum puto, cum teſtetur Divus Antoninus, Nico-

tiaque ornato, et qui omnes indiſcriminatim amabat, uti feciſſe Pontificem noſtrum communi conſenſione veteres tradunt, hoc umquam credet? Quod ſpectat ad Villanium ita reſpondet Muratorius *T. cit. ad an.* 1292. *pag.* 225. „Io non sò perchè Gio„vanni Villani cel rappreſenti come Ghibellino; „così dovette parere a' Guelfi; perchè egli non „fulminò tutto dì ſcomuniche, ed interdetti con„tro a' Ghibellini come avea fatto qualche ſuo „Predeceſſore. Certamente non appariſce dalle „azioni ſue queſta parzialità verſo di eſſi Ghi„bellini contraria alla profeſſione della Corte Pon„tificia d' allora„. Spondanus etiam *ad an.* 1288. *n.* 1. ambigit de peculiari Nicolai erga Ghibellinos favore. Ptolomeum Lucenſem ſcripſiſſe arbitror prout fama in Urbe praeſertim ferebat; quod de Anonymo S. Crucis fidentius aſſero; nam dubiè loquitur, ut conſtat ex eius verbis: *Columnenſibus nimis dicitur adhaeſiſſe* Nicolaus; Romanis autem, ſeu potius Romanenſibus ſolemne eſt, ut nemo ignorat, ſemperque fuit dictis, et factis vel honeſtas maximè Romanorum Pontificum actiones notare, et aliquando etiam ignominia afficere; hinc non ſolum Nicolaus, ſed etiam Martinus, et Honorius huius nominis IV., Coeleſtinus V., et Benedictus XI. in memorato libro notati fuere eodem Pipino teſte, etſi hi duo poſtremi publicis honoribus digni ab Eccleſia judicati poſtea ſunt. Verum concedatur Pontificem noſtrum peculiari ſtudio *Columnenſium* familiam proſequutum eſſe, ajo id feciſſe ſumma prudentia, non animo ad factiones proclivi; optimè enim ſciebat, Roma-

nos

Google

Nicolaum bonorum perpetuo conſuetudine uſum. Neque veriſimile eſt, qui probos, doctoſque viros, uti idem teſtatur Platina (1), in cognatorum loco tantum habuit, et cur huic ſe magis, quam illi daret, in virtutem illorum, ac vitia referre conſueſſet, quod ſanguini, et naturae non dabat, eum id nefario factioſorum ſtudio dediſſe. Sed cum lateant animi ſenſus in Principe, cauſaeque negotiorum ſaepenumero ſubditos, qui neſciunt, neque rationem capiunt, fit ut iis, qui ad judicandum praecipites habentur, plerumque tribui videatur

nos rebellaſſe non ſemel adverſus Pontifices Maximos, Urbemque deſerere coegiſſe, ut ceteros mittam, Lucium, et Clementem III., Gregorium IX., Innocentium, et Alexandrum IV. Itaque prudenter egit Nicolaus, ne idem ſibi accideret, iis ſtudere, quibus populus Romanus multum deferebat; tales per ea praeſertim tempora fuiſſe *Columnenſes* apertiſſimum teſtimonium habemus apud ſynchronum Auctorem *Chronici Parmenſis T. IX. S. R. I. col.* 819. narrantem quod anno 1290. *Romani fecerunt Dominum Jacobum de Columna eorum Dominum, et per Romam duxerunt eum ſuper currum more Imperatorum, et vocabant eum Caeſarem.*

(1) Quae Platinae verba exſcribit, probatque etiam P. A. B. *in Annal. Eccleſ. ad ann.* 1288. *n.* 1. tametſi laudes, quae jure Fratribus Minoritis debentur, non ſemel deprimit, atque imminuit, ut eſt a Vvaddingo animadverſum *T. I. Annal. in epiſt. ad Lect. pag.* 188.

deatur occaſio, quae ab animo recte compoſito manant, ea ſecus interpretandi. Adeo autem Nicolaus in ſumma hac poteſtate temperavit, ut cum per omnem aetatem ſemper modicus, praeter quam in virtute fuerit, eandem quotidie magis modeſtiam ſervaverit.

Semel tantum Cardinales creaſſe ſcribitur, altero Pontificatus anno, menſe Decembri (1): atque ii fuere Matthaeus Aquaſparta è Conventu Tudertino Ordinis Minorum Generalis Miniſter Epiſcopus Portuenſis, et Sanctae Rufinae (2), qui Ni-

colai

(1) De anno, quo Nicolaus S. R. E. Cardinales creavit, Rubeus ſequitur Panvinium *in epit. Roman. Pontif. pag.* 186. De menſe verò non item, ſiquidem Panvinius de illo ſilet. At vehementer errat uterque; nam Auctor *Memorialis Poteſt. Rhegienſium*, Henricus Stero, Ptolomaeus Lucenſis, ac Martinus Fuldenſis non ſolum narrant, Nicolaum Cardinales elegiſſe anno Pontificatus primo, ideſt anno 1288., ſed etiam eorum poſtremi duo ajunt id feciſſe, vel in die feſto *Pentecoſtes*, vel intra eius octavam. Jam verò dies *Pentecoſtes* anno 1288. cum decimo ſeptimo cal. Julii concurrebat.

(2) Matthaeus *de Aquaſparta* primò creatus eſt Cardinalis titulo S. Laurentii *in Damaſo*. Epiſcopatum Portuenſem anno tantum 1291. obtinuit, quem tenuit ad annum uſque 1302., quo obiit. Confer eruditiſſimum Comitem Mazzucchellium *T. I. par. 1. de' Scrittori d' Italia pag.* 117.

colai juſſu Ordinem ſuum adminiſtravit uſque donec alius Generalis Miniſter in ejus locum ſubditus eſt.(1) Quamquam autem aliquot ſuis libris ſcribat Panvinius (2), hunc altero Pontificatus anno Cardinalem à Nicolao factum, id tamen primo anno fuiſſe, D. Antoninus (3) teſtatur, cum in Comitiis in Monte Peſſulano habitis Generalis Miniſter fuiſſet renunciatus (4); quem Magiſtratum cum gereret (5), libellum reprehendit à Nicolao ejusdem familiae Fratre Galliarum Provinciali Praefecto editum adverſus eam interpretationem Franciſcanae legis, quam Nicolaus Pontifex Max. ſcripſerat. Scholiis etiam in Epiſtolam Divi Pauli ad Romanos, et luculentis in Sententiarum libros Petri Lombardi commentariis,

(1) Nimirum ad annum uſque 1289., quo in eius locum ſuffectus eſt Raymundus Gaufredus. V. *adnotat.* 3. *pag.* 74.

(2) *Loco ſupra cit.*

(3) *Op. alias indic. tit.* 24. *cap.* 3. §. 10. *fol.* 224.

(4) Anno 1287., ut alibi narratum eſt.

(5) Clariſſimus Mazzucchellius *loco cit.* ſcribit, Matthaeum Nicolai Librum oppugnaſſe, quo tempore Epiſcopus Portuenſis erat, ac proinde poſt annum 1291. Vereor ne falſum dicat; etenim Auctores Chronici XXIV. Generalium, ac Taurinenſis, nec non S. Antoninus *loco indic.* conveniunt hac in re cum Rubeo.

tariis, multiſque ſcriptis ad populum concionibus; clariſſimus Matthaeus habebatur (1). Sed longe clariorem ſe in Cardinalatu praeſtitit, cum à Bonifacio Octavo in Flaminiam, Bononiamque legatus eſt, quo tempore Flaminia deſciverat, extra Ravennam, omnis à Pontifice.

Collegam Matthaeo Nicolaus dedit Hugonem Bilionum Dominicani Ordinis Gallum Arverniatem Theologum doctiſſimum, et vitae ſanctitate, et editis libris celeberrimum (2). Hos ſecutus eſt Theobaldus Anglus titulo S. Sabinae (3) in Aventino; item Petrus Peregroſſus (4) Mediolanenſis ad eam diem Eccleſiae Romanae Vicecancellarius titulo Divi Marci. Simon (5) titulo S. Balbinae, Neapoleon

K Urſi-

(1) Plura alia ſunt litteraria opera, quibus Matthaeus inclaruit, eaque ex diverſis auctoribus numerat Mazzucchellius *loco cit.*

(2) Catalogum Librorum, quos confecit Hugo, texit doctiſſimus Echardus *T. I. SS. O. Praed. pag.* 450.

(3) Titulus S. Sabinae Cardinali Bilionio ſtatim electo conceſſus eſt, quem uſque ad Coeleſtinum V. retinuit, ut narrat Oldoinus *T. II. Addit. ad Ciaconium n. 7. col.* 269.; hinc dubium quorumdam augetur opinantium, Theobaldum falsò inter Cardinales a Nicolao creatos referri.

(4) De Petro Peregroſſo videatur Oldoinus *c.* 267.

(5) Utrum Simon creatus ſit Cardinalis a Nicolao IV. paullò poſt examinabitur.

Urſinus Diaconus D. Hadriani vir inſigni virtute, quam legationes Bononienſis, Flaminia, Etruſcaque, Benedicto Undecimo, et Clemente Quinto Pontificibus Maximis, praeclare obitae in primis declararunt. Joannes Columna, qui cum haberet uxorem, ea ſacrarum Virginum clauſtra ingreſſa, et religioſum earum Inſtitutum profeſſa, Cardinalis factus eſt (1). Ceterum hunc,

(1) De Joanne, ſeu Petro Columna praeter Oldoinum legatur Villanius *l. 7. H. F. cap.* 118. *col.* 317. Idem ipſe Oldoinus inter Nicolai Cardinales refert Bernardum, ſeu Berardum, quem alii Italum patria Callienſem, alii Gallum faciunt. Hic cum eſſet Auximi in Piceno Pontifex, Cardinalis, et Epiſcopus Praeneſtinus electus eſt, deceſſitque anno 1291. menſe Junio. Ughellus *in Acceſſion. ad Ciaconium* Cardinalibus hactenus numeratis adiungit Benitium *de Naldis* Civem, et Epiſcopum Cremonenſem. Quamquam poſtea *T. IV. Italiae Sac. in Ep. Crem. n.* 54. *col.* 609. ſententiam variaverit ſuam, tamen cl. P. Zaccharia *in Hiſt. Epp. Cremonen. n.* 53. *pag.* 140. utramque dignitatem Benitio reſtituit. Nolo hac de re cum eximio viro diſputare. Tantum affirmo, Benitium a Nicolao Cardinalem creatum non fuiſſe; enim vero Nicolaus unam duntaxat habuit Cardinalium electionem, ut colligitur ex Ptolomaeo Lucenſi, Henrico Sterone, Bernardo Guidonis, Martino Fuldenſi, Augerio, aliiſque veteribus Hiſtoricis: in hac ſex tantum Cardinales electi ſunt, judice Anonymo *Memorialis Poteſt. Rhegienſium*; hos fuiſſe Matthae-

hunc, quem priore ſuo de Cardinalibus libro (1), Joannem Panvinius, et poſt illum plerique appellant, Blondus, et Platina (2) Petrum dicunt, quibuſcum ego libentius ſentio, quod in eorum temporum ſcriptis Petrum Columnam Cardinalem S. Euſtachii legerim, qui et ad Polentanos ſcripſit, ne Traverſariorum, aliorumve, qui Ravenna exulabant, bona, moleſtia afficerent. Neque vero cujuſquam Petri Columnae ulla toto eo libro à Panvinio fit mentio. Aliqui tamen ut Panvinium tueantur Petrum Joannem (3) ap-

Matthaeum Aquaſpartanum, Hugonem Bilionum, Bernardum, Petrum Peregroſſum, Neapoleonem Urſinum, et Joannem, ſeu Petrum Columnam, monumenta apud Oldoinum *loco cit.* dubitare non ſinunt. Benitius ergo referendus non eſt in numero Cardinalium a Nicolao electorum. Conſtat ex his idem ferendum eſſe judicium de F. Petro *de Baulis* natione Gallo Ordinis B. M. *de Mercede* redemptionis captivorum, quem inter Cardinales numerant plures apud Oldoinum; de Theobaldo Stampenſi Anglo, ac Simone, quos Cardinales a Nicolao IV. creatos aſſerit Rubeus.

(1) *In Epit. RR. PP. alias laud.* Joannem item appellat Anonymus S. Crucis, et alii.

(2) *In vita Nicolai IV.* Platinae praeivit Villanius *loco cit.* Subſcribit Oldoinus *col.* 268.

(3) Oldoinus *loco indic.* narrat Petrum Filium Joannis fuiſſe, ex quo factum puto, ut Auctores non pauci Cardinalem hunc *Joannem* nomine Patris per errorem vocarint.

pellatum ſcribunt, quibuſcum non pugno.

Non minori diligentia in Epiſcopis deligendis Nicolaus, quam in Cardinalibus cooptandis utebatur, quod unicum Jacobi è Voragine, quod oppidum eſt in Genuenſibus finibus Dominicani Ordinis Theologi praeſtantiſſimi exemplum ſatis patefecerit. Hunc enim, cujus etiam hodie libri)1) de Theologia doctiſſime ſcripti ſumma cum laude à doctis hominibus aſſidue teruntur, Genuenſibus Archiepiſcopum dedit, et cariſſimum habuit (2). Nicolaus autem ipſe quamquam perpetuo fuerat graviſſimis, et ſui Ordinis, et Reipublicae Chriſtianae negotiis impeditus, tamen quaſdam reliquit ocii literarii lucubrationes in ſacra Biblia, et quatuor Sententiarum libros (3).

Haec

(1) De libris Theologicis, et Hiſtoricis a Jacobo perſcriptis agit cum ipſe *in Chron. Januenſi col. cit.*, tum maximè Echardus *T. I. SS. O. P. pag.* 454.

(2) Hoc accidere potuit antequam in Archiepiſcopum conſecraretur, non verò poſt; nam obiit Nicolaus Jacobo tanta dignitate nondum ornato, ut ipſe tradit *loco cit.*

(3) Dupinus *Nouvelle Bibliot. des Auteurs Eccleſiaſt. T. X. chap.* 4. *pag.* 57. poſt Trithemium, Vvaddingum, Bergomenſem, et Ludovicum Jacob a S. Carlo, praeter opera a Rubeo memorata, adjudicat

Haec vero acta per ſeſe illuſtria, ac glorioſa, et quae memoriae proderentur K 3 ſempi-

dicat Nicolao plures Sermones. Cave *in Hiſt. Litter. ſec. Scholaſt. pag.* 653. ſcribit *eſſe de Sanctis, et de Tempore*. Suareſius *lib.* 2. *Praeneſtes Antiq. cap.* 13. *col.* 115. *T. VIII. par.* 4. *Theſ. Burmanniani* ait, Nicolaum eorum nonnullos elaboraſſe occaſione electionis Honorii IV. in Summum Pontificem. Teſtibus Ludovico Caſtagna *de Cardinalibus Doctis* ad verbum *Hieronymus Aſculanus*, Dupino, et Cave, aliiſque, in Bibliotheca Vaticana ſervantur MSS. in fol. Bullarum, et Epiſtolarum Nicolai Volumina tria. Harum quaedam ſparſim ſunt etiam in aliis Bibliothecis; etenim in Bibliotheca Regis Angliae ex Montfauconio *T. I. Biblioth. Bibliothecarum MSS. pag.* 629. exſtant *epiſtolae duae de captione Accon;* in Bibliotheca S. Martini Turonenſis ex eodem Montfauconio *T. II. op. cit. pag.* 1341. ſervantur *Conſtutiones quaedam MSS.*; in Bibliotheca Cottoniana judice Caſimiro Oudino *T. III. Comment. de SS., et Scriptis Eccleſ. ſec.* 14. *col.* 1017. legitur *ſtatutum de diviſione fructuum, redituum, et proventuum inter Papam, et Cardinales;* in Bibliotheca Pariſienſi S. Victoris, quemadmodum ait idem Montfauconius *T. II. op. laud. pag.* 1373. exſtat *Nicolai IV. de Indulgentiis*; an Tractatus, an Epiſtolae variae mihi non conſtat. Bzovius, Balutius, Vvaddingus, Raynaldus; caeterique diplomatum Romanorum Pontificum Collectores quam multas ex memoratis *Bullis*, litteriſque Nicolai publicarunt. *Bulla de Cenſibus Eccleſiae Romanae* in lucem emiſſa eſt a Martene, et Durand *T. II. Collect. Veter. Script. col.* 1303. Poſſevinus *T. II. Appar. Sacri pag.* 33.; et Vvad-

ſempiternae, digniſſima, ita erant temporum oppreſſa injuria, vix ut cum ipſo Nicolao obruta, à quoquam cognoſcerentur, cum Felix Perettus, is, de quo ſupra ſcripſimus ſtatim ut in Cardinalium Collegium aſcitus eſt, nobili plane, ac generoſo ſtudio ad vindicanda ab altiſſimis oblivionis tenebris in clariſſimam lucem poſteritatis adeo praeclara facta, ſe dedit, quam ampliſſimo condendo ſepulcro, eodem, quo prius fuerat loco, ita erudito ſumptu, adeo eleganti opere praecellentium artificum, ut ditiſſimum Regem magis referre, quam mediocri Cardinalem vectigali videatur: Sed in Franciſcanum Ordinem ſuum, Picenumque patriam pietas, et hominum luci, cognitionique primum ex religioſo Inſtituto ſuo Pontificem, ſanctaque illius geſta reſtituendi cupiditas, dum ipſe erga ſe Felix perpetuo ſuo vitae tenore modeſtus admodum, temperatuſque eſt, Deo ſanctos conatus juvante, cum inſigni laude publici hujus beneficii, eam exſtructio-

et Vvaddingus *in Syllabo SS. Ordinis Minorum pag.* 173. attribuunt etiam Pontifici noſtro egregiam Epiſtolam ad Patres in Comitiis Patavinis congregatos ſcriptam. Hanc Epiſtolam eam eſſe reor, qua anno 1277. rogavit Patres, ut ab onere gubernandi Ordinem liberaretur, quemadmodum dictum eſt *in hac Hiſt. pag.* 37.

ctionem ſingularis Nicolai gloriae munus ad exitum deduxerunt.

Monumentum hoc ad dexteram chori Baſilicae Divae Mariae Majoris, Arae maximae fere ex adverſo locatur, egregiis, diſcoloribuſque concinne diſtinctum lapidibus. In parietis nido, qui medius eſt, Nicolai Pontificis imago ſpectatur ex candido marmore, qui habitu Pontificio ſacram ſummae ipſius dignitatis Majeſtatem referens, dextero extento brachio, et dilatata manu, pacificatoris adhuc obire munus, quod vivens ſumma ope ſemper curaverat, videtur. Ad haec, imagines ſunt ſuo quaeque nido, eodem ex marmore duae: dextera Religionem referens, laeva Juſtitiam perpetuas, propriaſque Nicolai comites; in fronte ſupra Nicolai imaginem verba haec leguntur.

NICOLAO IV. ASCULANO PICENO
PONT. MAX. CUM IN NEGLECTO DIU
SEPULCRO FERE LATUISSET
F. FELIX PERETTUS CARDINALIS DE
MONTEALTO IN ORDINEM ET PATRIAM
PIETATE POSUIT.
MDLXXIV.

 In baſi

In baſi hae inciſae literae, quae ſumma eloquentia, et brevitate ſunt maximae Nicolai virtutis ampliſſimae teſtes.

„ Nicolaus IV. Ordinem Minorum
„ profeſſus, Philoſophus, et Theologus e-
„ gregius, Conſtantinopolim à Gregorio
„ X. miſſus Graecos ad R. E. communio-
„ nem, Tartaros (1) ad fidem reduxit.
„ Poſt S. Bonaventuram Generalis ſancti-
„ tate, et doctrina Ordinem propagavit.
„ Nicolai III. Nuncius inter Francorum,
„ et Caſtellae Reges pacem conciliavit.
„ S. Potentianae Cardinalis. Legatus Ho-
„ norii IV. in Galliam. Senatoriam P. R.
„ dignitatem Sedi Apoſtolicae reſtituit. Fa-
„ ctus Pontifex Rempublicam ſublatis di-
„ ſcordiis compoſuit. Chriſtianos Princi-
„ pes ſacro faedere junxit. Ptolemaidem
„ copiis adjuvit. Flaminiam in Pontificis
„ iterum ditionem redegit. Publicum in
„ Montepeſſulano Gymnaſium inſtituit.
„ Probos, et eruditos in cognatorum loco
„ tantum habuit. Lateranenſem, et hanc
„ Baſilicam ſtructuris, et opibus auxit. Tan-
„ dem juſtitia, et religione orbem terrae
„ moderatus, magna ſanctitatis opinione
„ obiit

(1) Conſule quae hac de re diximus *pag.* 35. *in notis*.

„ obiit pridie Nonas Aprilis MCCXCII.
„ Pontificatus ſui Anno V. (1)

Et profecto ſi rem intime perſcrutari animus eſt, id eſſe verum videbimus, quod vulgo fertur nihil eſſe amabilius, nihil copulatius, quam ſimilitudinem: plurimae enim Nicolao Quarto cum Felice, qui nunc Sixtus V. eſt, ita conveniunt, ut nihil ſupra. Fuit Nicolaus Picenus Aſculi natus

(1) Nicolai Sepulcrum, Statuae, et Inſcriptiones nunc ſunt prope januam Eccleſiae majorem ad laevam ingredientium; eò translatae a Benedicto XIV. cum Baſilicam Liberianam reſtauraret, uti narrat clariſſimus Tempeſtius *Storia della Vita, e Geſte di Siſto V. T. I. lib. 3. num. 25.* „ mentre che noi componevamo queſta Storia in Roma ci avenne fortunatamente a 6. di Febbrajo „ 1748. di veder l' urna, che conſerva l' oſſa del „ venerato Nicolò IV. in contingenza, che il Sommo Pontefice regnante Benedetto XIV. con isforzo di moderna magnificenza riſtora la predetta „ Baſilica. Comandò egli, che per dare al Tempio una ſimmetria più vaga ſi trasferiſſe il Depoſito fatto da Siſto dalla Tribuna all' ultimo „ della Chieſa, e quindi nello ſcavare i marmi „ componenti il Depoſito, ſi trovò l' urna, ſopra „ la quale è inciſo: *hic requieſcit Nicolaus PP. IV. Filius Beati Franciſci:* ſua Beatitudine pertanto fece fare la ricognizione con le ſolite autentiche ſolennità, e ſtipulato il fatto dal Signor Bernardino Monti capo Notajo dell' Eminentiſſimo Signor Cardinal Guadagni Vicario di „ noſtro Signore, fu di nuovo riposta l' urna ſotto „ il trasferito Depoſito „

natus (1): Sixtus item Picenus eſt ex Montealto (2) oppido Aſculi ſic propinquo, ut eadem dici pene Civitas poſſit. Nicolaus primis annis (3) S. Franciſci habitum induit; idem ab ineunte aetate fecit Sixtus (4). In maximum Philoſophum, ac Theologum evaſit Nicolaus, et in Sacra Biblia erudite ſcripſit (5); nos Philoſophiam, ac Theologiam admiramur Sixti, qui adhuc Cardinalis ſuis in D. Ambroſium lucubrationibus opinionem, quae de illius doctrina maxima ſemper habita eſt, praeclare ſuſtinuit (6). Conformavit Nicolaus, dum

(1) Videantur quae de Nicolai IV. patria diximus *nota* 4. *pag.* 19., *et ſeq.*

(2) Non una eſt Scriptorum opinio de loco, in quo Sixtus V. venit in lucem. Tempeſtius *op. cit. T. I. lib.* 1. *n.* 20. *et ſeq.* variis oppugnatis ſententiis demonſtrat, oriundum fuiſſe ex oppido *Montealto* in Piceno; natum verò in oppidulo in agro Firmano poſito, quod *Cupra maritima* vocant.

(3) Sexdecim circiter annis natus juxta Chronologiam a nobis ſtatutam *nota* 1. *pag.* 25., *et ſeq.*

(4) Puer decennis Ordinem Minorum Conventualium ingreſſus eſt anno 1531. Conſule Tempeſtium *lib. cit. num.* 42.

(5) Confer *notam* 1. *pag.* 23. *ſeq.*, et *notam* 2. *pag.* 140., *et ſeq.*

(6) De multis litterariis operibus, quae Sixtum virum doctum declarant, legatur praeter Oldoinum, ac Tempeſtium, Joannes Franchinius *Biblioſofia, e Memorie Letter. di Scritt. Franceſ. Convent. num.* 117. *pag.* 188., *et ſeq.*

dum Generalem Miniſtrum gereret, Ordinem ſuum; à Sixto idem eſt factum, qui univerſum fere Ordinem ipſe inviſit (1), et novis legibus ornavit. Nicolaus Divae Pudentianae titulo inſignitus ad D. Mariae Majoris habitatione delectatus eſt (2); exaedificatis Sixtus inſigni ſtructurae ſpecie, ac mirabili elegantia prope D. Pudentianae, ac Divae Mariae Majoris aedibus, hortiſque, ibi maximam partem ingraveſcentis aetatis, quae vacua illi à publicis negotiis eſſe poterat, literariumque ſuum, ac Chriſtianum ocium magna cum animi voluptate traduxit. Reſtituit D. Joannis ad Lateranum Baſilicam, et in Divae Mariae Majoris dari ad ſepulturam voluit Nicolaus (3); Sixtus reſtituere aedes Pontificias ad Lateranum vetuſtate collapſas, ut audio, coepit (4), et Nicolai Sepulcrum ad D. Mariae Majoris quam ampliſſimum extruxit. Iuſtitiam Nicolaus, et pacem

(1) Hoc intelligendum eſt de iis Coenobiis ferè omnibus, quae Ordo noſter in Italia poſſidet; nam ea, quae ſunt in Germania, Gallia, Polonia, aliiſque regionibus Sixtus ſua praeſentia non inviſit.

(2) Vide *notam* 1. *pag.* 140.

(3) Conſule *pag.* 136., *et ſeq.*

(4) Lege claris. Tempeſtium *op. cit. lib.* 14. *num.* 24. *et ſeq.*

pacem amavit, curavitque. Sixtus id in primis nititur, jamque capite damnati, et maleficiis infames pene innumeri, qui omnem Italiam infeſtam reddiderant, agros, vias, urbes, atque adeo ipſam Romam caedibus cruentaverant, aut poenas dederunt, aut in abdita, aviaque ſic receſſerunt, ut tutus undique acceſſus pateat (1).

Reliquum eſt in tanta omnium conſenſione, ut duabus maxime rebus diſſentiant, atque ubi parum Nicolaus in Pontificatu vixit, et continenti bellorum, et cladium moleſtia agitatus, Sixtus, quod et ejus nobis ſuadet corporis optima conſtitutio (2), diu vivat, et integra Chriſtianorum omnium pace fruatur, ut ſera illius, felicique ſenectute, haereſum, ac diſſenſionum tempeſtate, et fluctibus, legum vi, aut ſi fieri ſecus minime poterit, armorum, omnino ſedatis, ita bellum, conſpirante omnium caritate, Chriſtianiſque Principibus in unum foedus, et piam amicitiam convenientibus, adverſus Turcam immanem noſtrum, per-

(1) Adi-ſis Tempeſtium *lib. 9. n. 11., et ſeq.*, ac *lib. 11. num. 32. et ſeq.*

(2) Quamquam Sixtus optima eſſet corporis habitudine, aliter tamen, ac ſperabatur contigit; nam poſt quintum ab eius electione annum, quatuor menſes, atque tres dies deceſſit e vita. Conſule *notam 1. pag. 1.*

perpetuumque hoſtem agatur ad ea recuperanda loca, quae Chriſtus Deus ſanguine ſuo pretioſiſſima reddidit (1), ut eodem Domino adjuvante, ad ipſius gloriam, atque laudem non amplius de metu, ac periculo, ſed de victoriis, ac triumphis cogitandum nobis ſit, quod ut ita fiat, ſicque jubeat ille, qui omnium potens eſt Deus, et ſupplices petimus, et ejus freti clementia magnopere ſperamus.

AP-

(1) Ea recuperare loca in animo volvebat Pontifex Sixtus, cum ſua, tum Franciſci I. Magni Etruriae Ducis potentia fretus, ſed ob huius mortem, quae menſe Octobri anno 1587. accidit, res ex animi ſententia non proceſſit. Adeundus toties laudatus Tempeſtius *T. II. op. cit. lib. 5. num.* 3., *et ſeq.*

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

APPENDIX MONVMENTORVM.

I.

Nicolaus monet Eduardum Angliae Regem, ſe Legatos ſuos ad Alphonſum Regem Aragonum mittere, quò tandem aliquando Carolum Andegavenſem e cuſtodia educeret; ac praeterea eundem Eduardum hortatur, ut ad id operam ſuam conferat.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Cariſſimo in Xpo filio.. Regi Angliae Illuſtri ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Ad liberationem Cariſſimi in Xpo Filii noſtri Caroli primogeniti clare memoriae C. Regis Sicilie paternae ſolicitudinis ſtudio intendentes nobilem virum Alphonſum natum quondam Petri olim Regis Aragonum, qui primogenitum detinet carceri mancipatum per noſtras monemus litteras (1) ſpeciales, ut eumdem primogenitum ſublato dificultatis oſtaculo, plene reſtituat liber-

(1) Litterae Nicolai ad Alphonſum, datae ſunt idibus Martii; eaſque nos indicavimus *nota* 2. *pag.* 57.

libertati. Venerabilibus quoque fratribus B. Ravennat. et P. Montis Regalis Archiepiſcopis, ac dilecto Filio fratri Rainono de Viterbio Ordinis Praedicatorum Sedis Apoſtolice nunciis per alias litteras noſtras (1) injungimus ut eumdem nobilem perſonaliter adeuntes ei. . . . quas ſibi, ſicut premititur dirigimus litteras repreſentent, ipſum quod hujuſmodi Apoſtolicis monitis, et beneplacitis humiliter et efficaciter acquieſcat ſollicitè inducendo. Rogamus itaque Celſitudinem Regiam, et hortamur attente, quatinus pro noſtra, et Apoſtol. Sedis reverentia eumdem Alphonſum efficaciter, et diligenter inducas, ut monitis et beneplacitis ſupradictis humiliter, et efficaciter acquieſcere non poſtponat. Ita quod exinde Regie devotionis promptitudinem non immerito commendemus. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Idibus Martii Pontificatus noſtri Anno primo.

II.

Jubet Legatis, ut litteras, quas ad Alphonſum Regem ſcripſerat, et ad illos miſerat, eidem Regi tradant.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei.

(1) Quas publicamus *in hac Append. n. 2.*

Dei. Venerabilibus Fratribus Bonifacio Ravennatis, et Petro Montis Regalis Archiepiſcopis, ac Dilecto Filio fratri Rainono de Viterbio Ordinis Predicatorum Sedis Apoſtolici nunc is ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Ad liberationem cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli clare memorie C. Regis Scicilie primogeniti noſtre ſollicitudinis ſtudio intendentes nobilem Virum Alphonſum natum quondam Petri olim Regis Aragonum, qui Primogenitum ipſum detinet carceri mancipatum, per noſtras litteras, quas vobis tranſmittimus, per vos eidem nobili preſentandas monemus, ut eumdem Primogenitum ſublato difficultatis obſtaculo plene reſtituat libertati, nullumque Jacobo fratri ſuo, vel alio, ſeu aliis quibuſcumque Romanam Eccleſiam in Scicilіae, et aliis Regni illius partibus quomodolibet impugnantibus, vel turbantibus impendat per ſe, vel per alium, ſeù alios auxilium, vel favorem. . . . . . a receptione predictarum litterarum computandos compareat coram nobis noſtris et eiusdem Eccleſie mandatis, ac beneplacitis ſuper hiis, que in eiusdem continentur litteris, humiliter, et efficaciter pariturus (1). Alioquin con-

L tra

(1) Alphonſus in omnibus Nicolai mandatis obtempe-

tra eum ſpiritualiter, et temporaliter prout atrocitas facti ſuaſerit, et expedire videbimus, procedemus. Volumus igitur, et diſcretioni veſtre diſtricte precipiendo mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum ad prefatum Alphonſum ſublato more diſpendio perſonaliter accedentes ſibi predictas litteras preſentetis, ipſum, quod hujuſmodi Apoſtolicis monitis, et beneplacitis humiliter acquieſcat iuxta datam Vobis a Domino gratiam ſollicitè inducendo. Et nihilominus ex parte noſtra peremptorie citetis eumdem, ut infra predicti temporis ſpatium a receptione predictarum litterarum prout premittitur computandum compareat coram nobis ſuper premiſſis in eiſdem, ſicut predicitur, contentis litteris noſtris, et ipſius Eccleſiae beneplacitis, et preceptis efficaciter pariturus. . predicentes eidem, quod ſi ſecus fecerit contra eum prout ſuperius exprimitur, curabimus habere proceſſum. Quod autem in hac parte fe-

temperavit; nam ſub anni exitum ad Pontificem miſit Legatos ſuos, teſte Jordano *in Chronico cap.* 235. *par.* 7. *col.* 1016. apud Muratorium *T. IV. Antiq. Italiae medii aevi*, ubi ita ſcribit: *circa Natalem autem Domini venerunt ad Curiam Nuntii Aragoniae, et Siciliae in Conſiſtorio excuſantes Alphonſum*. Cuſtodia etiam liberavit Carolum, quemadmodum narratum eſt *pag.* 72.

te feceritis, nobis per veſtras patentes litteras harum, et etiam prediſtarum litterarum tenores quas Alphonſo prelibato dirigimus plenius continentes ſollicite et ſerioſius intimetis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Idibus Martii Pontificatus Noſtri Anno primo.

III.

Mandat Legatis idipſum, quod iis praeceperat ſuperioribus litteris.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus fratribus B. Ravennat. et P. Montis Regalis Archiepiſcopis, ac dilecto Filio Fratri Raynono de Viterbio Ordinis Predicatorum Sedis Apoſtolice Nunciis ſalutem, et Apoſtolicam benedictionem. Si graves, et enormes exceſſus, et atroces injurias, et offenſas multiplices, quas quondam Petrus olim Rex Aragonum divina, et Apoſtolice Sedis reverentia prorſus abjecta in ſalutis proprie molitus diſpendium, ſuique nominis, quod cautius cuſtodire debuerat, derogationem non modicam animatus contra Romanam Eccleſiam matrem cunctorum fidelium, et magiſtram illicitis auſibus perpetrare, ſibique irrogare preſum-

ſumpſit, Inſulam occupando Scicilie, ac partem Regni Scicilie alteram ad jus, et dominium ejusdem Eccleſie pertinentes, quas clare memorie Carolus Rex Scicilie ab eadem Eccleſia tenebat in feudum validis impugnando conatibus, et in diverſis aliis ejusdem Regni partibus ſtatum Eccleſie memorate pacificum quamplurimum perturbando. Quaſque Alphonſus et Jacobus Filii, ac Conſtantia uxor ejusdem Petri eo ſublato de medio ipſius inconſulte ſectando veſtigia commiſiſſe noſcuntur, predictis Alphonſo, Jacobo, et Conſtantia Inſulam detinentibus, partemque alteram impugnantibus ſupradictas, dictoque Alphonſo illis in iis impendendo conſilium, auxilium et favorem velimus enarrare per ſingula, et ſeriosis aperire ſermonibus longum eſſet, ingenſque audientibus tedium generaret. Sed praefatus Alphonſus ex eo potiſſime jam dictam perturbat Eccleſiam, ipſius mentem vehementer amaricat, eamque in intimis dure pungit, quod Cariſſimum in Chriſto filium Carolum clare memorie C. Regis Scicilie Primogenitum, magnum utique ipſius Vaſallum Eccleſie, ſuumque fideliſſimum filium, et devotum Virum utique injuſte detentum, et quo ad eum in prelio juſto captum, ac Regnum, juraque paterna

terna debite, ac legitime defendentem, non invadentem ipſius Alphonſi, vel ſuorum terram, non occupantem aliqua ſua vel ſuorum jura, vel bona, nec alias ſibi, vel eis iniuriam inferentem, ſed a quibusdam more quaſi piratico interceptum carceralibus vinculis detinet alligatum in divine majeſtatis offenſam, grande ſue fame, ſalutiſque diſpendium, et grave ſcandalum totius pene Populi Chriſtiani. Unde quia tot, et tantos exceſſus pati equanimiter urgente nos conſcientia non poſſumus, nec debemus, eundem Alphonſum per alias noſtras ſub certa forma monemus litteras, ut prefatum Primogenitum ſublato difficultatis obſtaculo, plene reſtituat libertati, nullumque prefato Jacobo fratri ſuo, vel alii, ſeu aliis quibuſcunque in Inſula, et Regno predictis Eccleſiam quomodolibet impugnantibus, vel turbantibus ſupradictam, impendat vel per ſe, vel per alium, ſeu alios favorem, conſilium, vel auxilium publicum vel occultum. Et nihilominus infra ſex menſes a receptione predictarum litterarum, quos ſibi dirigimus computandos compareat coram nobis, noſtris, et ejusdem Eccleſiae mandatis, et beneplacitis ſuper premiſſis humiliter, et efficaciter pariturus. Alioquin contra eum ſpiritualiter,

 et tem-

et temporaliter, prout qualitas facti ſuaſerit, et expedire viderimus, procedemus. Per alias quoque litteras vobis iniungimus, ut vos, aut duo veſtrum ad eundem Alphonſum perſonaliter accedentes, ſibi praedictas litteras, quas, ut premittitur eidem dirigimus, preſentetis, ipſum quod hujuſmodi Apoſtolicis monitis, et beneplacitis humiliter aquieſcat ſollicite inducendo. Et nihilominus ex parte noſtra peremptorie citetis eumdem, ut infra predicti temporis ſpatium in eisdem litteris comprehenſum coram nobis comparere procuret, reſcripturi nobis quod in hac parte duxeritis faciendum. Quia igitur huiuſmodi executionem negotii cordi nobis ſpecialiter inſidentis, impedire nolumus, vel differri, diſcretioni veſtre per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ſi contigerit, quod ad prefatum Alphonſum perſonaliter, vel ſicure accedere non poſſitis, ipſum in Civitate Clotonen: ejus Clero, et Populo congregato ex parte noſtra publice, ac peremptorie citare curetis, ut infra ſex menſes poſt citationem veſtram compareat coram nobis ſuper premiſſis, et ea contingentibus humiliter, et efficaciter pariturus. Apertius predicentes, quod ſi ſecus fecerit contra eum ſpiritualiter, et temporaliter, prout contumacia ejus

jus exegerit, et expedire viderimus, procedemus; quodque propter hujuſmodi monitionem noſtram, vel aliquam citationem emiſſam, ſeu etiam emittendam, ut certo tempore coram nobis compareat ſuper premiſſis noſtris et Eccleſie beneplacitis pariturus, ſive infra ipſum tempus curaverit, ſeu renuerit, aut diſtulerit comparere, non intendimus contra ipſum, ſuoſque fautores ſeu adjutores proceſſus ſpirituales, vel temporales omittere, vel diferre, aut omitti facere, vel diferri, qui per nos, vel alios occurerint, vel apparuerint faciendi; ne autem prefatus Alphonſus pretendere valeat, quod hujuſmodi noſtra citatio non pervenerit ad eumdem, citationem ipſam in locis aliis, de quibus expedire videritis per vos, vel per alium, ſeu alios ſolemniter publicetis, facientes ſuper hiis confici publica inſtrumenta, que nobis curetis tranſmittere, vel diferre. Dat. Rome apud S. Petrum quarto Kalendas Aprilis. Pontificatus noſtri Anno Primo.

IV.

Excerptum ex Hiſtoria MS. Anonymi in Bibliotheca Florentina Coenobii S. Crucis Ordinis Minorum, quos modo Conventuales *communiter appellant*.

Folio 189.

Nicolaus poſtea ſedet natione Marchianus primus vocatus Jeronimus. Cardinales fecit D. Neapoleonem, Dominum Petrum de Colupna, Fratrem Matthaeum de Aqua ſparta Generalem Minorum amatorem ſuae Religionis, et aliarum. Hic Papa adhuc Cardinalis exiſtens cum Cardinales eſſent incluſi in Sancta Sabina ad electionem faciendam per mortem Honorii, dum alii Cardinales fugiſſent locum propter infirmitatem ſolus ibi remanſit, in loco infimiori, et tamen evaſit. Hic quamvis ſanctitate celebris Columnenſibus nimis dicitur adhaeſiſſe. Anno primo ſui Pontificatus Tripolis capta eſt occiſis, et captis multis Chriſtianorum. Alii dicunt anno ſecundo. Eodem anno Rex Rodulphus Vicarium mittit in Italiam Dominum Principallem de Fliſco, qui ditior Clericus erat

 in

in ſimplicibus praebendis, quam aliquis Clericus mundi, et omnibus ceſſit propter dictum Principatum; factus eſt autem tantum pauper quod coactus eſt vendere jurisdictionem Imperii Civitatum Tuſciae; unde Lucani dederunt ei de dominio, quod habebant in ſuo territorio 12. millia flor.

Eodem anno, alii dicunt tempore vacationis ideſt 1292., Galeae Regnicolarum euntes contra Siculos obviam habuere Rogerium de Loria, qui eas multo ingenio ſuperavit. Venerat Comes Guido de Monteforte, et Comes Theatinus Dominus Philippus filius Comitis Flandriae. MCCLXXXIX. Rex Carolus de carcere liberatur mediante Rege Angliae datis obſidibus pro pactis ſervandis. Eodem anno diſcordia oritur inter Regem Franciae, et Odoardum Regem Angliae, quae magna fuit, et multum duravit, et mittuntur duo Cardinales ſcilicet Dominum Benedictum Gagetani, et Dominum Gerardum de Parma, qui ſuper negotio nihil facere potuerunt; concordaverunt tamen Clerum cum Rege, propter quod aliqui putant eos principaliter miſſos.

MCCXC. Achon capitur a Soldano, et Tyrus ſimiliter captis, et occiſis Chriſtianis ultra 30. millia, et per annos 40. capta ajunt haec loca: 1. Hieruſalem, 2. Aſca-

Aſcalon, 3. Zapha (1), 4. Nazareth, 5. Gazara (2), 6. Caeſarea, 7. Beleccia (3), 8. Antiochia, 9. Zibelent (4), vel Biblium, 10. Tripolis, 11. Achon, 12. Sur (5), vel Tyrius, 13. Sydonia, 14. Baruthi, 15. Tortoſa. Inter Caſtra 12. nobiliſſima amiſſa ſunt. MCCXCII. Rodulphus Rex Alamaniae moritur ſine Imperiali benedictione, qui ſua probitate Regnum Alamaniae in magna pace tenuit annis 12. Eodem anno convenerunt Electores Imperii, et elegerunt Comitem Adulfum de Anaxone virum ſtrenuum in armis, ſed in potentia diſficientem, quia pauper erat. Tunc Papa moritur, et Cardinales de communi concordia Peruſium ſe transferunt, et vacavit annis 2. Sedes, et menſibus 3. Tempore vacationis Palialogus moritur, et ſuccedit filius Andronicus. Tunc factus eſt tumultus magnus in Conſtantinopoli per Calogeros acclamantes Palialogum non debere ſepe-

(1) Ptolomaeus Lucenſis *l.* 24. *cap.* 24. *Hiſt. Eccleſ. col.* 1196. apud Muratorium *T. XI. S. R. Ital.* habet *Caffa verſus Acbon.*

(2) Idem *Gaza.*

(3) Idem *Lalectio*, vel juxta codicem Patavinum *Laleria.*

(4) Idem *Libelletum, quod antiquitus Biblium vocabatur.*

(5) Idem *Surti.*

ſepeliri in Cimiterio, quod Latinis adhaeſit, et uſque nunc inſepultus manet. Tunc autem Rex Karolus de Provincia veniens per Peruſium tranſiit, ad eligendum Pontificem Cardinales precibus inducit. Dura quoque verba cum Domino Benedicto Gagetani habuit, nihil tamen profecit.

V.

Excerptum ex Chronico MS. in Regia Bibliotheca Taurinenſi.

Pagina 21., *et ſequentibus*

Huius tempore (1) Frater Hieronymus, qui ei in regimine Ordinis ſucceſſit, Legatus ad Graecos miſſus eſt, et cum ſolemnibus Graecorum Nunciis rediit tempore congretati Concilii, et in Lugduno, in quo Domino Papa Gregorio X. celebrante Miſſam ipſi Graeci interfuerunt, Symbolum cum confeſſione articuli de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, et Filio cantaverunt, et pacem cum ceteris fidelibus acceperunt Sanctae Romanae primatum Eccleſiae recogno-

(1) S. Bonaventurae patria Balneoregienſis, qui in Miniſtrum Generalem electus eſt Romae anno 1256., Ordinemque rexit ad annum uſque 1274.

gnoſcentes, et confitentes. Sed poſtmodum procedente tempore ſub Domino Marco (1) Papa ipſum pacis negotium ſuadente pacis inimico extiterit perturbatum. Hunc (2) dictus Dominus Gregorius X. Cardinalatum Epiſcopatus Albanenſis coegit ſuſcipere, cujus praeſentia, et ſapientia in illo Concilio adeò videtur in defenſione Religionum contra multos, et magnos adverſarios fuiſſe preparata. Hoc praeſente ad Cardinalatum aſſumpto, et tempore Concilii Generalis Capitulo Lugduni congregato..... Frater Hieronymus predictus abſens, qui nondum a legatione redierat in Generalem Miniſtrum electus eſt. Hic Hieronymus gradatim ad Summi Pontificatus apicem provocatus eſt. Nam primò Lector non parvae literaturae in Ordine factus fuit Miniſter Provincialis in Sclavonia. Ex hoc Legatus Eccleſiae Romanae ad Graecos. Exinde

(1) Ita in MS. Taurinenſi, ſed legendum eſt *Martino* huius nominis IV., cujus tempore Graeci ab Eccleſiae Romanae ſocietate iterum defecerunt, uti diximus *pag.* 33. *adnotatione* 1. Littera *M.*, qua ſola huius Pontificis nomen in autographo indicabatur, vel fortaſſis nota aliqua compendiaria perperam lecta, in cauſſa fuit, cur qui Taurinenſem codicem exaravit, pro *Martino* ſcripſerit *Marco*.

(2) De anno, quo S. Bonaventura in S. R. E. Cardinalium Senatum numeratus eſt, vide *notam* 1. *pag.* 31.

de Miniſter Generalis, poſtmodum tituli Sanctae Potentianae Presbyter Cardinalis, poſt Epiſcopus Praeneſtinus; et ſic tandem Pontifex Summus. Huius Miniſtri Generalis tempore Dominus Vicedominus Placentinus, qui erat Cardinalis Epiſcopus, ſcilicet Praeneſtinus, cum ſe videret ad extrema deduci habitum Ordinis Beati Franciſci devotiſſimè petiit, et accepit, et obiens cum illo Cardinalis Epiſcopus (1), et Frater Minor ſimiliter in Eccleſia Fratrum eorundem Viterbii requieſcit: qui in infirmitate ſua magnum dedit humilitatis exemplum monens Confeſſorem, ut ipſum requireret, et examinaret, ſicut unum ſimplicem Laicum de peccatis. Nos in quod per-

(1) Hic eſt ille Vicedominus *de Vicedominis*, quem plures Scriptores putant anno 1276. nonis Septembris in Romanum Pontificem electum, poſtridie nonas eiusdem menſis obiiſſe; eorumque nonnulli, ut Burius *in Brevi Notitia PP. RR. num.* 194. Gregorium XI. appellant. Sed hos omnes oppugnant Papebrochius *in Propylaeo par. 2. pag.* 58. *ac ſeq.*, et Pagius *T. III. Brev. Geſtorum PP. RR. pag.* 354., *et ſeq. ed. Ven.* 1730. Huius Chronici, ſicuti et ſequentis auctoritate magis comprobatur opinio Mariani Florentini apud Vvaddingum *T. IV. ad ann.* 1273. *n.* 14. *pag.* 382., Papebrochii *loco cit.*, et aliorum exiſtimantium, Vicedominum tantum propè mortem habitum Fratrum Minorum induiſſe.

Digitized by Google

perlati ſumus diligentius regredimur. In eodem etiam loco ſepultus eſt Dominus Adrianus Papa, qui ex maximo dilectionis affectu cum Fratribus habere voluit ſepulturam.

Iſto igitur a Domino Nicolao Papa III. ad Cardinalatum aſſumpto F. Bonagratia in Generalem Miniſtrum eſt electus. Quod Capitulum dictus Cardinalis tenuit quouſque Frater Bonagratia ſupervenit, et hoc apud Aſſiſium. Superveniente igitur Miniſtro, & Capitulo expedito ſollicitatus Generalis a Sanctiſſimo Patre praedicto Domino Nicolao Papa III. cum quibusdam Provincialibus Miniſtris, et aliquibus aliis diſcretis Fratribus de Capitulo ad ipſius Domini acceſſit praeſentiam, qui apud Surianum per ipſam aeſtatem reſidens cunctis aliis praetermiſſis negotiis cum eisdem Generali, et Fratribus praeſentibus, et coagentibus Venerabilibus Dominis Patribus Domino Hieronymo Praeneſtino, ac Fratre Bentevegna Albanenſi Epiſcopis ſuper Regulam Fratrum Minorum deliberatiſſimam edidit per dies plurimos Decretalem, quae incipit: *Exiit qui ſeminat*, ac per peritiſſimos viros Dominum Petrum Vice-Cancellarium, qui et ipſi poſtmodum fuerunt Cardinales, Dominum Comitem Auditorem Palatii Mediolanen-

lanenſes, Dominum Angelum famoſiſſimum Advocatum, et Dominum Benedictum Notarium Curiae, qui poſtmodum fuit Cardinalis, et demum Papa, exactiſſima diligentia plurium dierum diſceptationibus elimatam, primo coram Cardinalibus, qui tunc erant Viterbii, deinde coram totius Curiae frequentia per dictum Dominum Benedictum, qui eam dictaverat, fecit ſolemniter promulgari, quam et dictus Papa Bonifacius incorporavit ſuo Sexto Decretalium, et authenticam reddidit toti mundo. Huius Miniſtri tempore dictus Papa Nicolaus III. migravit ad Dominum, de quo cum eſſet puer, et a Patre ſuo, qui erat de Tertio Ordine, Beato Franciſco fuiſſet oblatus, praedixit idem Sanctus, quod non Frater habitu, ſed defenſor futurus eſſet ſui Ordinis, et Dominus Mundi. Hoc cum ſciret ipſe Dominus non niſi poſt factum voluit revelare ſervans verbum ſecundum ſententiam ſapientis.

Iſto apud Avinionem defuncto (1) ſucceſſit

(1) Jordanus *in Chronico cap.* 235. *par.* 7. *col.* 1015. apud Muratorium *T. IV. Antiquitat. Italic. medii aevi* de obitu Fratris Bonagratiae loquens, ſic ait: *Martini* (IV.) *Papae tempore, Frater Bonagratia Generalis Minorum obiit Avinione; vir magnae*

ceſſit ei Frater Allotus Pratenſis electus Mediolani in Capitulo Generali in quo Capitulo, ſuadente Fratre Guillelmo de Falgario, qui eidem Capitulo praeerat, ſtatutum eſt, et data forma, quod fieret unus Vicarius, qui regeret Ordinem vacante Miniſterio Generali. Iſte igitur Frater Allotus, qui erat Magiſter in Theologia, qui per annum vixit in iſto Miniſterio, et appoſitus ad Sanctos Patres alios etiam Pariſiis requieſcit. Poſt eius obitum ſecundum formam, ut praedictum eſt, in Mediolanenſi traditam, Frater Guillelmus praedictus inſtitutus eſt Vicarius Ordinis Generalis, qui ad electionem Bachelari praeſentandi pro Lectura in Theologia volens ipſam electionem alteri praeripere, cui ſecundum ordinem temporum competebat, et ad alterum devolvere ſibi gratum fecit officiales laicos Conventus Pariſienſis admitti. Sanè per Curiam Romanam determinatum fuit poſtea, ſcilicet tempore Fratris Matthaei, qui huic ſucceſſit in officio Miniſtri Generalis, quod Capitulum Generale non poterat ullam jurisdictionem dare Vicario; et ideò per Summum Pontificem Dominum Nico-

gnae religionis, et ardentis zeli; in cuius morte, nullo funem trahente, campana multis cernentibus pulſabatur.

Nicolaum IV. decretum eſt privilegio ſpeciali, Vicarium Generalem in Ordine nec eſſe debere, nec poſſe. Per eundem etiam Papam privilegio declaratum eſt, omnium Cuſtodum unius Provinciae voces, qui unum pro ſe ad Capitulum Generale pro Generalis electione dirigunt pro una tantum voce reputari, cuius contrarium voluerunt aliqui in Capitulo Montiſpeſuli introducere, quamvis illud omni tempore praeterito conſuetudo tenuerit, quod omnium Cuſtodum unius Provinciae voces pro una ſola habeantur.

Huic Fratri Alloto Frater Matthaeus de Aquaſparta ſucceſſit electus in Capitulo Montiſpeſulani. Hic Libellum quemdam ſuper declaratione Regulae contra fas per Fratrem Nicolaum, qui fuerat Miniſter, fraude editum deprehendit, qui et ipſi cum aliis eidem libello faventibus contentam in declaratione poenam intulit. Hic Generalis a Domino Nicolao Papa IV. aſſumptus factus eſt tituli Sancti Laurentii in Damaſo Presbyter Cardinalis. Nihilominus tamen rexit de mandato Papae Ordinem ſicut et caeteri Miniſtri Generales ſic aſſumpti uſque ad electionem ſucceſſoris. Poſtmodum autem factus Epiſcopus Portuenſis.

Huic ſucceſſit Frater Raymundus Gau-

 fredi

fredi electus in Capitulo Reatino praeſente praedicto Domino Nicolao Papa IV. cum Cardinalibus Ordinis anno Domini 1289., et recipiente, ac audiente perſonaliter eligentium vota. In ipſo Capitulo Carolus haeres Regni Ceciliae una cum Conſorte ſua ab ipſo Papa in loco Fratrum coronati ſunt. Hic Frater Raymundus dum teneret Pariſiis Generale Capitulum anno Domini 1292. ad preces Regis Franciae aſſumptus eſt ad Cathedram Magiſtralem in Theologica facultate. Huic Dominus Bonifacius Papa VIII. anno Domini 1295. Epiſcopatum Paduanum contulit, et ab officio Miniſterii Generalis abſolvit. Sed ipſe Epiſcopatui non conſentiens remanſit a Miniſterio abſolutus.

VI.

Excerpta ex Chronico MS. priorum XXIV. Miniſtrorum Generalium Ordinis Minorum, quod eſt in Tabulario Sacri Coenobii Aſſiſienſis.

Pagina 107. *verſa.*

Huius (1) temporibus idem dominus Papa

(1) Nimirum Sancti Bonaventurae, de quo paullo ante loquuti ſumus.

Papa Gregorius X. ad partes Grecie deſtinavit viros providos et probatos in officiis ordinis. videlicet Fratrem Jeronimum de Eſculo tunc Miniſtrum Sclavoniae cum ſotiis ſuis. quos idem Generalis ſibi obtulerat. ut Grecos et Tartaros reducerent relictis erroribus ad Romane Eccleſie unitatem.

Pag. 108. verſa.

Nonus Generalis fuit frater Jeronimus de Eſculo Provincie Marchie electus Lugduni anno Domini. MCCLXXIV. tempore generalis Conſilii ibidem. ubi per Dominum Fratrem Bonaventuram iſtius predeceſſorem fuerat generale Capitulum Congregatum. Tunc autem dictus Frater Jeronimus nondum a legatione de Grecia fuerat reverſus. Tandem nondum finito Conſilio cum ſollempnibus Grecorum nuntiis rediit negotio pro quo iverat feliciter expedito. Unde ipſo efficaciter procurante Greci ad Sedis Apoſtolice obedientiam redierunt. Ille quoque qui Grecorum tenebat Imperium primatum Sancte Romane Eccleſie recognovit eique humiliter ſe ſubiecit. Domino autem Papa prefato illo tempore Miſſam ſolempniter celebrante dicti interfuerunt

Grecorum nuntii et Simbolum cum confeſſione articuli de proceſſione Spiritus Sancti a patre, et filio cantaverunt ac pacem cum ceteris fidelibus acceperunt. Et ſic ſe pro tota Grecia Domino Pape in omnibus ſubmittentes reverſi ſunt ad Eccleſie unitatem. Affuerunt etiam in eodem Conſilio per eundem Fratrem Jeronimum adducti nuntii Tartarorum qui ibidem Domino Pape ſe ſubmittentes fuerunt baptizati. In quo Deus ordinem plurimum honoravit per quem cunctis gaudentibus tantum providit bonum Eccleſie Ortodoxe. Tamen poſtmodum tempore Domini Martini Pape negotium tractante pacis inimico extitit perturbatum.

Huius Generalis tempore vir preclariſſimus Cardinalis et Epiſcopus Peneſtrinus Dominus Vicedominus Placentinus cum ſe videret ad extrema deduci habitum noſtre religionis cum maxima devotione adhuc vivens petiit et accepit. Et obiens cum illo Cardinalis Epiſcopus et Frater Minor ſimul in Eccleſia eorundem Fratrum Viterbii requieſcit. Qui in infirmitate ſua magnum dedit humilitatis exemplum monens Confeſſorem ſuum ut ipſum examinaret requireret ſicut unum ſimplicem laycum de peccatis. Nos inquid Prelati ſumus diligentius inquirendi.

Anno

Anno Domini. M.CC.LXXV. ab Incarnatione computando Dominus Frater Petrus de Tarantaſia Cardinalis et Epiſcopus Hoſtienſis de Ordine Predicatorum in feſto Sancte Agnetis in Aretio aſſumptus eſt ad Papatum et Innocentius. V. elegit nominari. Qui cum ſediſſet menſibus. V. et duobus diebus obiit Rome Anno Domini. M.CC.LXXVI. XXII. die menſis Junii. Eodem anno iterato ſuper aliquibus punctis legatio iſti Generali imponitur ad Greciam utrum tamen iverit non inveni. Sed ob hoc impeditus non potuit eſſe in Capitulo generali Padue celebrato ſed miſit ibi ſuum Vicarium Fratrem Bonamgratiam. qui ſibi poſtea in Generalatu ſucceſſit. Et eidem Capitulo anno Domini. M.CC.LXXVI. in Pentecoſten celebrato miſit litteras efficaces quibus offitio reſignabat allegando inſufficientiam impotentiam ac negotia Eccleſie nichilominus tamen fuit in offitio confirmatus. Certificavit etiam idem Generalis Capitulum per litteras ſuas quod Beatus Franciſcus apud Aſſiſium cuidam oculos ſibi totaliter per curiam effoſſos miraculoſe reddiderat quamvis dati oculi in teſtimonium miraculi parviores eſſent prioribus.

Eodem Anno. M.CCLXXVI. in men-

ſe Julii Dominus Otholonus Januenſis tituli Sancti Adriani Dyachonus Cardinalis ſingularis Pater et Dominus Ordinis nepos quondam Domini Innocentii Pape IV. aſſumitur ad Papatum et vocatus eſt Adrianus. V. Qui de Roma Viterbium veniens cum tantum per menſem. et. XX. dies fuiſſet in Papatu ibidem moritur et ex magna devotione quam habebat ad ordinem ibidem in Fratrum Minorum Eccleſia ſepelitur. Hunc Generalem rogavit dictus Dominus Johannes Gajetani ordinis protector ut Fratres non ex debito ſet ſui amoris obſequiis inſiſterent Sororum Sancte Clare. Quod multum dicto Generali et ordini fuit grave. Tamen tanto Patri amiciſſimo ordinis reſiſtere non valentes cum conditione hujuſmodi conceſſerunt. Quod videlicet venientibus Fratribus ad Monaſterium Abbati (1) et totius ejus Conventus darent eis publicum inſtrumentum quod non ex debito ſed ex gratia et Dei amore eorum (2) Fratres ſpiritualibus obſequiis inſiſtebant. Anno predicto Dominus Petrus Juliani Cardinalis et Epiſcopus Tuſculanus natione Portugalenſi die XVI. menſis Septem-

(1) Ita in MS. Aſſiſienſi, ſed legendum eſt *Abbatiſſa*.

(2) Potius *earum*.

Septembris in Viterbio aſſumitur ad Papatum et fuit Johannes. XXI. vocatus. Qui cum menſibus octo quadam camera nova quam pro ſe Viterbii fieri fecerat cadente oppreſſus expiravit.

Anno Domini Milleſimo. CCLXXVII. in feſto Sancte Katharine ſupradictus Dominus Johannes Gajetani et ordinis protector ut omnes alii ordinis protectores ſui predeceſſores fuit ad gradum Summi Pontificatus aſſumptus in Viterbio non ſine ordinis letitia. Ut quod Sanctus Franciſcus de ipſo in curia exiſtente (ſupple *praedixerat*) quod videlicet futurus erat protector magnus ordinis et Dominus huius mundi clare videretur impletum. Sub iſto Generali Dominus Radulphus Romanorum futurus Imperator filiam ſuam Beato Franciſco et Sancte Clare ex devotione optulit ex religioni eiusdem Sancte Clare perpetuo dedicavit. Supradictus Dominus Papa nichilominus Pontificatus ſui anno primo Fratrem Bentevenga Tudertinum fecit Cardinalem et Epiſcopum Albanenſem. Hic Generalis Frater Xonimus de multorum Fratrum conſilio condempnavit et reprobavit doctrinam Rogerii Bachonis Anglici Sacre Theologie Magiſtri continentem aliquas novitates ſuſpectas propter quas idem Roge-

Digitized by Google

rius carceri condempnatus precipiendo omnibus Fratribus ut nullus illam teneret ſed ipſam vitaret ut per ordinem reprobatam. Super hoc etiam ſcripſit Domino Pape Nicholao prefato. ut per eius auctoritatem doctrina illa periculoſa totaliter ſopiretur.

Pagina 110. *verſa*,

Anno Domini. M.CC.LXXVIII. vel circa hic Generalis Frater Jeronimus fuit miſſus legatus cum Fratre Jordano Magiſtro Generali Predicatorum ad pacificandum Reges Francie et Caſtelle inter quos diſcentio non modica erat orta. Et dum fuerat Pariſius ad ſuccidendas lites et diviſiones ſcandaloſas que quandoque inter Fratres Religionum Minorum et Predicatorum ex invidia oriri videbantur de utriuſque Religionis diſcretorum conſilio ordinata ſunt certa pacta et ſtatuta quibus pax inter Minores et Predicatores et caritas de cetero nutriretur. Inter que fuerunt quod Fratres utriuſque ordinis a mutuis detractionibus et contentionibus abſtineant omni modo. Et ubicumque ſe invenerint honore ſe invicem preveniant et ad loca ubi aliqui eorum declinaverint ſe mutuo recipiant ſicut Fratres. Si inter perſonas vel Conventus orta fue-

ta fuerint dubia quibus poſſent lites alique ſuboriri. ſtatim ad utriuſque Religionis Provinciales ſue Provincie deferant per ipſos ut jus exegerit breviter diſcidenda. Et quicunque Frater repertus fuerit verbo vel facto Fratrem alterius ordinis offendiſſe per ſuum Provincialem tali pene ſubmittat qua merito offenſus debeat contentari. Et ſuper iſtis per utrumque Generalem littere conformes per omnia loca ſuarum Religionum ſub ſigillis ſuis fuerunt deſtinate.

Hic Generalis addidit legende Beati Franciſci per Dominum Fratrem Bonaventuram compilate illam viſionem Domini Pape Innocentii Tertii quando Beatum Franciſcum tanquam ignotum repulit indignanter ab illo loco. Cum igitur eſſet Xpi Vicarius in loco qui dicitur Speculum et cetera. Quam ſibi Dominus Ricardus tituli Sancti Angeli Dyachonus Cardinalis nepos eiusdem Domini Pape prout ab eodem avunculo ſuo receperat devote revelavit. Hic exiſtens Pariſius in legatione predicta factus eſt per Dominum Nicholaum Papam predictum tituli Sancte Potentiane Presbiter Cardinalis Pontificatus eiusdem Domini Pape anno ſecundo deinde factus eſt eodem anno Epiſcopus Peneſtrinus. In bulla vero ſuper hoc ſibi miſſa Dominus Papa ſibi mandavit

dabat ut a Clericis ſtipendia reciperet ſicut legatus Cardinalis. Ipſe vero Generalis de ſe humiliter ſentiens litteris efficaciſſimis Domino Pape miſſis allegando ſuam inſufficientiam et impotentiam quantum potuit tanto gradui reſignavit. Nec aliam familiam interim recipere voluit vel a Clericis ſtipendia nec ſtatum mutare in aliquo donec a Domino Papa litteram habuit et reſponſum. Tamen interim dubium oritur an poſſet uti Generalatus officio pro eo quod Dominus Papa ſibi ſcripſerat in hunc modum. Fratri Jeronimo Sancte Romane Eccleſie tituli Sancte Potentiane Presbitero Cardinali quondam Generali ordinis Fratrum Minorum. Tandem a Domino Papa de utroque recepit litteram reſponſivam precipiendo ſibi ut dictum Cardinalatus gradum aſſumeret et vice Generalis Miniſtri ut prius ordinem gubernaret. Hic autem Dominus Cardinalis humilitatis gratiam que prius in ipſo relucebat ita prudenter ſervavit. ut miro modo communiter et humiliter ageret et honorem nichilominus dignitatis maturitate de vita honeſtiſſima retineret. Magneque apud Fratres edificationis eius mora et converſatio facta fuit. Confeſſus eſt ſepe multum tamen ſobrie ſet certo ut dicebat ſermone. quod plus vel-

let

let coquinam Fratribus facere quam Cardinalis faſtigio preeminere ſeque aliter obſtitiſſe niſi offenſam ordinis timuiſſet. Hic rexit ordinem. V. annis alibi tamen dicitur. VI. annis. Set quia non reperiuntur niſi quinque anni a celebratione Conſilii Lugdunenſis vel modicum plus quod fuit celebratum anno Domini. M.CC.LXXIV. quo tempore iſte fuit electus uſque ad Capitulum Generale Aſſiſii in quo Fratrem Bonamgratiam habuit ſucceſſorem. primum verius eſſe credo.

Pagina III.

Decimus Generalis miniſter fuit Frater Bonagratia de Provincia Bononie vir multum religioſus. et juxta nomen ſuum motum gratia predotatus creatus Aſſiſii in Capitulo Generali. anno Domini. MCCLXXIX. ibidem celebrato. Quod Capitulum Dominus Frater Jeronimus Cardinalis et Epiſcopus Peneſtrinus vices gerens auctoritate Apoſtolica Generalis Miniſter (1) tenuit quouſque Frater Bonagratia ſupervenit.

Eadem pagina verſa.

Ad compeſcendum quorundam mordaces inſultus contra regulam et dubia decla-

(1) Lege *Miniſtri*.

clarandum. Dominus Papa apud Surianum reſidens per eſtatem declarationi regule intendit cunctis aliis negociis pretermiſſis fere per duos menſes non ſine admiratione totius curie cum omnino quid ageretur extra eos qui ad hoc erant vocati nulli homini eſſet notum. Ipſe autem Dominus Papa cum Generali et diſcretis Fratribus preſentibus et coagentibus venerabilibus Fratribus Domino Fratre Bentevenga Albanenſi. et Domino Fratre Jeronimo Peneſtrino Epiſcopis ac Cardinalibus de ordine aſſumptis ſuper regulam Minorum deliberatiſſimam edidit illam que incipit exit qui ſeminat decretalem ac per viros peritiſſimos Dominum Petrum Vice cancellarium Dominum Comitem Auditorem Mediolanenſes qui fuerunt poſtea Cardinales. et Dominum Angelum famoſiſſimum curie Advocatum. ac Dominum Benedictum Prothonotarium qui fuit poſtea Cardinalis et finaliter Papa Dominus Bonifatius. VIII. exactiſſima diligentia plurium dierum diceptationibus elimatam primo coram Cardinalibus deinde coram totius curie frequentia per dictum Dominum Benedictum qui eam dictaverat fecit ſolemniter promulgari. anno Domini. M.CC.LXXIX. Quam etiam idem Dominus Bonifatius. VIII. libro ſuo. VI. decretalium

in ti-

in titulo de verborum ſignificationibus inſeruit et autenticam reddidit toti mundo. Dominus etiam Clemens Papa. V. in Conſilio Viennenſi in illa Decretali exivi de Paradiſo de verborum ſignificationibus in Clementinis ipſam commendavit nec non Dominus Johannes Papa. XXII. in illa Conſtitutione que incipit quia quorundam exigit ipſam extollit tanquam claram lucidam et magna maturitate digeſtam.

Pagina 123.

Et eodem anno. M.CC.LXXXVII. ab Incarnatione computando in die Cathedre Sancti Petri Dominus Frater Jeronimus tunc Cardinalis et Epiſcopus Peneſtrinus quondam ordinis Generalis de Eſculo civitate Marchie oriundus aſſumptus eſt ad Papatum et Nicholaus Papa IV. vocatur. Qui gradatim ad ſummum Pontificatus apicem taliter eſt provectus. Nam primo Lector non parve litterature in ordine Fratrum Minorum exiſtens factus fuit miniſter in Provincia Sclavonie. et inde legatus Eccleſie ad Grecos exinde Miniſter Generalis. poſtmodum tituli Sancte Potentiane Presbiter Cardinalis. Poſt hec Epiſcopus Peneſtrinus et ſic tandem Pontifex Summus.

Hic

Hic Dominus Papa tempore iſtius (1) anno Domini. M.CC.LXXXVIII. ſtatutum factum in prefato Mediolanenſi. Capitulo. de inſtituendo ordinis Vicario Generali qui vacante miniſterio ordinem regeret revocavit precipiendo quod de cetero non fieret talis Vicarius ſine licentia Sedis Apoſtolice et ordinis protectoris. Per eundem etiam Dominum Papam eodem tempore ſtatutum fuit et declaratum quod omnium Cuſtodum unius Provincie haberentur pro una ſola cujus oppoſitum voluerant aliqui in prefato Capitulo Montiſpeſſulani ubi iſte Generalis electus eſt introducere quamvis id omni tempore preterito ordinis conſuetudo tenuerit quod omnium Cuſtodum unius Provincie voces pro una ſola haberetur. Statuit etiam idem Papa eodem anno quod numerus provinciarum olim ſub domina (2) Gregorio Papa IX. in Capitulo Generali eo preſente taxatus. cum augmento duarum Provinciarum poſtea facto ſtet immutabiliter nec aliquis ſine licentia Sedis Apoſtolice et ordinis protectoris poſſit aliter mutare nec illum numerum minuere vel augere

Eodem

(1) Matthaei *de Aquaſparta* Miniſtri Generalis anno 1287. electi in Comitiis habitis in Monte-Peſſulano. Vide *pag.* 143.

(2) *Domino*.

Eodem tempore et anno idem Generalis a dicto Domino Nicholao Papa IV. aſſumptus. factus eſt tituli Sancti Sancti Laurentii in Damaſo Presbiter Cardinalis nichilominus tamen rexit ordinem de mandato Domini Pape. ſicut et ceteri miniſtri Generales ſic aſſumpti uſquequo in officio habuit ſucceſſorem. Poſtmodum factus eſt Epiſcopus Portuenſis.

Pagina 126. verſa.

Tertius decimus Generalis miniſter fuit Frater Raimundus Gaufridi de Provincia Provincie et Conventu Marcilie. electus in Capitulo Reatino. anno Domini. M.CC. LXXXIX. celebrato preſente dicto Domino Nicholao. Papa. IV. cum duobus Cardinalibus ordinis videlicet Domino Fratre Bentevenga Albanenſi et Domino Fratre Matheo Portuenſi Epiſcopis eodem etiam Domino Papa perſonaliter vota eligentium audiente quamvis ut fertur idem Papa alium vellet eligi ubi electoribus videretur quod ipſos etiam non latebat. Unde cum ante Capitulum fuiſſet Aſſiſii aſſignatum et jam ibi miniſtri et Fratres alii pro electione Generalis conveniſſent Dominus Papa. Reate totum Capitulum convocavit. Et

quam-

quamvis aliqui crederent Dominum Papam ex hoc fore offenſum. tamen omnibus Cardinalibus poſt electionem ad Capitulum introductis ordinem commendando electionem ipſam a Spiritu Sancto factam eſſe ſignis evidentibus declaravit.

In eodem autem Capitulo Carolus heres Regni Cicilie pater Sancti Ludovici poſtmodum Epiſcopi Tholoſani et filius Karoli Fratris Sancti Ludovici Regis Francie cum ſua conſorte Domina Maria filia Regis Ungarie. ab ipſo Papa. in loco Fratrum fuerunt coronati. Tunc autem idem Rex dimiſerat in Cathalonia pro ſua expeditione tres filios ſuos obſides videlicet Sanctum Ludovicum predictum et Robertum qui ſibi in Regno Cicilie ſucceſſit. et Raimundum Berengarii qui fuit poſtea in conventu Marcilie tumulatus. Qui ibidem per ſeptennium quo ibi fuerunt multum perfectione ſcientia et devotione ad ordinem profecerunt.

Eodem anno dictus Dominus Papa. Nicholaus. XV. Kal. Septembris pontificatus ſui anno ſecundo confirmavit regulam Fratrum et Sororum de Penitentia per Beatum Franciſcum dum adhuc viveret eis datam Anno Domini. M.CC.LXXXX. obiit venerabilis pater Dominus Frater Bentevenga

Car-

Cardinalis et Epiſcopus Albanenſis. Eodem anno. dictus Dominus Papa miſit litteras dicto Generali Fratri Raimundo ut contra quosdam Fratres qui in Provincia Provincie ciſma videbantur inducere ſtatum aliorum Fratrum dampnantes. et ſe ſpiritualiores ceteris reputantes quorum nonnulli reperti ſunt male fame et ſcandala in Provinciis ſuſcitantes et doctrinam quandam non conſonam veritati tenentes (1) diligenter fiendam Fratri Bernardo de Cigotorio comiſit ad ſibi referendum. Facta vero relatione dictus Generalis omnia ad examen et definitionem Capitulum (2) Generalis Pariſius proximo celebrandi.

Pagina 127.

Anno Domini. M.CC.XCII. in Paraſceve dictus Dominus Papa. Nicholaus diem clauſit extremum. et poſt ejus deceſſum vacavit Sedes duobus annis et fere menſibus tribus. Eodem anno in Penthecoſte fuit Pariſius Generale Capitulum celebratum in quo idem Frater Raimundus Generalis ad preces Regis Francorum Philippi qui cognominabatur Pulcher. aſſequtus eſt cathedram magiſtralem in Theologica facultate.

(1) Hic nonnulla deſiderantur.
(2) *Capituli*.

Pagina 127. verſa.

Anno Domini. M.CC.XCV. Dominus Papa Bonifatius Epiſcopatum Paduanum huic Generali Fratri. Raimundo contulit. et ab officio Generalatus abſolvit. Set ipſe proviſioni de ſe facte non conſentiens aſſerendo ſe non eſſe tanta prelatione dignum et ut ferunt Papa reſpondente quod multo minus ſe dignum reputare debebat ad regendum ordinem Fratrum Minorum remanſit ſic ab officio abſolutus.

VII.

Diſſertatio Benedicti XIV. de Nicolai Papae IV. publico cultu in Sancta Maria Majore.

Nicolaus Papa IV. fuit citra omnem controverſiam inter Romanos Pontifices multa ornatus literatura, ut patet *ex Bibliotheca Pontificia Ludovici Jacobi a S. Carolo lib.* 1. verbo *Nicolaus IV.* ubi et recenſentur libri ab ipſo compoſiti, et declaratur quanta paſſim in aeſtimatione haberentur. Praeterea ſingulari virtute inſignitus fuit, ac pietate non eo ſolum tempore, quo ſedit in Pontificatu, ſed tum etiam, cum Ordinis

dinis Minorum Conventualium (1) alumnus S. Franciſci Regulam intra Religioſa Clauſtra profitebatur, aut ad Eccleſiaſticos honores evectus Cardinalitia dignitate fulgebat. Plurima illius in Cardinalatu merita enarrantur *in Hiſtoria Generali Cardinalium typis Pariſienſibus edita anno* 1640., *et Cardinali Richerio dicata*. Nemo tamen de illo cum laude ſcripſit perinde, ac S. An-

N 2 toni-

(1) Etiam P. Eliſeus Monſignanus *T. I. Bullarii Carmelit. pag.* 39. *ed. Romanae* 1715. Nicolaum de Ordine Minorum Conventualium fuiſſe ſcribit. Veteres auctores Pontificem noſtrum de Ordine FF. Minorum tantum dixerunt; nam licet *Conventualis* nomen vel a primo Religionis inſtitutae ſeculo Fratribus noſtris tributum fuerit, nihilo tamen minus priuſquam Fratres, quos *de Obſervantia* appellant, ſe ab univerſa Franciſcanorum ſocietate ſejungerent, iſtud Minoritis non addebatur, quippe quod ſtatim ac Fratres Minores nominabantur, ii ſignificabantur, qui modò *Conventuales* vulgò dicuntur. Ceterum antiqui Scriptores nonnulla de Nicolao narrant, ex quibus evidenter colligitur ad Fratres Minores Conventuales ipſum ſpectare; ac, ut alia praeteream, ajunt illi Sacrae Theologiae inſignia, decoraque conſequutum eſſe. Vide *pag.* 27. *nota* 2. At Magiſtri, ac Doctoris Sacrae Theologiae titulos apud nos in uſu ſemper fuiſſe, Fratres Minores *de Obſervantia* perpetuò illos recuſaſſe, tam certum eſt, quam quod maximè. Confer Venerabilem Antonium Luccium Epiſcop. Bovinenſem in opere inſcripto *Ragioni Storiche da umiliarſi alla Sacra Congregazione de Riti &c. cap.* 7. *pag.* 160., *et ſeq.*

toninus *in ſuis Hiſtoriis tit.* 24. *cap.* 9. §. 7. *ſub finem*, ubi refert primò quantum ab acceptanda Cardinalitia dignitate ipſe abhorruerit, deinde ea ſuſcepta, quam ſingularis fuerit exempli. Accedit Scriptor nuperrimus Gregorius Kolb, qui *in ſua ſerie Romanorum Pontificum* agens de Nicolao IV. ſcriptum reliquit, eum mortuum fuiſſe non minus aetate confectum, quam dolore; propterea quod Ptolemaidem Syriae Urbem ab Ægyptiis tunc temporis expugnatam videret, et Chriſtianorum Principum ad bellum contra communes adverſarios capeſſendum tarditatem expertus fuerat. Verum ſi quis abundè edoceri cupit de inſignibus meritis huius Pontificis legat ipſius vitam egregiè conſcriptam a Pagio *in Breviario Romm. Pontiff. T. III.*, praeter id, quod ſummatim attingunt Sandinus in ſuo *de Romanis Pontificibus* Opuſculo, et Du-cheſne *in Romm. Pontiff. Hiſt. T. II.*, ubi teſtatur, eum non ſine magna ſanctitatis opinione deceſſiſſe.

Nonnullos adverſus eundem Pontificem latratus ediderunt Scriptores quidam praeſertim heterodoxi. Platina (1) auctor Catholicus, ſed maledicus, illum incuſat eò quod

(1) Platinam, ceteroſque cum eo ſentientes oppugnavi *pag.* 140., *et ſeq. in notis*.

quod Gibellinis faverit contra Guelphos ſtudio partium abreptus; res in Summo Pontifice non ferenda. In Romanorum Pontificum vitis, quas ſcripſerunt Auctores heterodoxi Robertus Barns, et Joannes Baleus Angli, quaſque Joannes Martinus Lidius edidit, palam de Nicolao affirmatur, eum ſuo muneri frigidè ſatisfeciſſe *nulla animarum habita ratione* (1). Chronici Belgici Auctor (2), et Krantzius (3) narrant eumdem

 in mor-

(1) Hos Auctores Nicolaum calumniari liquet ex iis, quae diximus *in notis pag.* 61., 62. 63. 80. 81. 94. 128. 139. *&c.*

(2) Apud Piſtorium *T. III. Scriptorum Rerum Germanic.* „ item legitur in quodam Chronico ſta„ tuiſſe Nicolaum illum, ut quoties Sedes Apoſto„ lica vacaret, Papa de Ordine Fratrum Minorum „ eligeretur „.

(3) Apud Magdeburgenſes *Cent. XIII. cap.* 10. *de Epiſcop., et Doct. col.* 1010. Nicolaus IV. *moriturus Cardinales omnes ad unum uſque convocavit, atque a dignitate, in qua conſtituti erant, abſolvit. Conſternati Purpurati Patres primum, mox tanquam mente captum deſeruerunt. Vocat igitur totidem Minoritas, quibus titulos Cardinalitios aſſignat, et jurejurando obligatos flagitat, ut ex ſuo numero aliquem eligant ſucceſſorem, et impoſterum ſemper aliquem, qui Ordinis Minorum ſit.* In eadem ſententia eſt Philippus Mornaeus *in Hiſt. Papatus pag.* 417. Burius auctor catholicus *in Brevi Notit. Romanorum Pontif. pag.* 218. *ed.* 1730. licet quod narrant laudati Scriptores fabulam cenſet, arbitratur tamen de eo ſuſpicandi *nonnihil cauſſae ſubfuiſſe, quia Sedes*

in mortis articulo conſtitutum decreviſſe, ut nullus poſthac eligeretur in Pontificem niſi ex Religione S. Franciſci; atque adeo Cardinales omnes tunc viventes depoſuiſſe, totidem in eorum locum Religioſis S. Franciſci ſubrogatis. Denique in Pontificum Hiſtoria (1) typis edita Hagae-Comitum anno 1733. T. III. crudelitatis crimine, et furoris accuſatur hic Pontifex, eo quod juſſerit a ſepulchro extrahi, atque in cinerem redigi cadavera Joannis de Beziers Minorum Conventualium alumni, et Petri Caſſiodori, quibus culpa imputabatur, quod viventes illum appellaſſent Antichriſtum.

Sed

poſt mortem ipſius (Nicolai) *valde diù vacavit*. Ad hocce commentum reſpexiſſe etiam Thomam Vvalſinghamum puto, qui apud Natalem Alexandrum *in Hiſtor. Eccleſ. ſeculo* 13. *cap.* 1. *art.* 12. inquit, quod Nicolaus *multa privatim ſtatuit, quae faciunt non ſolum ſuperbire Minores, ſed etiam inſanire*.

(1) Huius Hiſtoriae Scriptor, quem eſſe Franciſcum Brujum opinamur, ita loquitur *in vita Nicolai IV. pag.* 289. „ Mais pour faire connoitre plus „ particulierement ſon caractere, je ne dois pas oublier, que Jean de Beziers Cordelier, et Pierre Caſſiodore furent par ordre de ce Pape tirez „ de leur Tombean, et reduits en cendres, pour „ avoir oſe l' appeller l' Ante-Chriſt „. Franciſco Brujo praeluxit Heydeggerus *Hiſt. Papat. aetat.* 4. Maynardus etiam Comes Tyrolenſis *in ſua Apologia*, cujus fragmentum recitat memoratus Brujus *op. cit. pag.* 300. Nicolaum appellat *cruel, et iniuſte*.

Sed haec omnia merae fabulae ſunt, atque infames calumniae, quas validis argumentis confutavit Attichy *in Floribus Hiſtoriae Sacri Collegii Cardinalium*, ubi Hieronymi Cardinalis Aſculani deinde Nicolai IV. vitam deſcribit *num.* 7., et Gretſerus *in Defenſione Romanorum Pontificum*, aut *in examine Miſterii Pleſſeani cap.* 56. *T. VII. Opp. noviſſimae editionis* (1); quoad notam verò adhae-

(1) Tametſi Gretſerus, et Dattichius, quibus addi poteſt Leonardus Coquaeus *in Antidoto Fidei Orthodoxae contra Philippum Mornaeum T. II. pag.* 175. *ed.* 1616. pro Nicolai defenſione nonnulla protulerint argumenta contra Krantzium, aliosque cum eo ſentientes, ſupervacuum tamen haud erit me alia pariter in medium adducere, ut apertior fiat laudatorum Scriptorum in Sanctiſſimum Pontificem calumnia. Qui litteris conſignarunt Nicolaum juſſiſſe Cardinalibus, ut nullum impoſterum eligerent Papam niſi ille de Ordine Minorum eſſet, recentiores ſunt, quam opus ſit, ut fidem hac in re adhibere iis debeamus. Auctores verò ſynchroni, et ſuppares, ut Villanius, Ptolomaeus Lucenſis, Pipinus, Leo Urbevetanus, Jordanus, et Martinus Fuldenſis non modò de hujuſmodi facto altiſſime ſilent, ſed narrant inſuper, Nicolaum virum fuiſſe bonis moribus, honeſtate, ac prudentia ornatum, amaſſe cum proprium, tum alios Ordines. Vide horum teſtimonia *pag.* 23. *adnot.* 1. Jam verò quis non videt, haec nullo unquam pacto conciliari cum iis poſſe, quae ſcribunt Auctor *Chronici Belgici*, Krantzius, et alii? Ad haec, Gobelinus Perſona *Aetate* 6. *Co-*

rò adhaeſionis nimiae erga Gibellinorum factiones, easdem fabulas confutavit Muratorius *in Annal. Italiae ad ann.* 1292.

Poſita

6. *Coſmodromii cap. 67. pag.* 283. apud Henricum Meibomium *T. III. Rerum Germanicarum*, ex quo memoratos Auctores hujuſmodi fabellam accepiſſe arbitror, et dubie loquitur: *dicitur* (en eius verba) *quod iſte Nicolaus ſtatuit, quod quoties Sedes Apoſtolica vacaret, deberet eligi Papa de Ordine Fratrum Minorum:* et eandem fabellam adiudicat Nicolao III. patria Romano *e domo Urſinorum*, quem per ſummum errorem de Ordine Minorum fuiſſe narrat. Tandem ſi res eo modo ſe habuiſſet, quo volunt Krantzius, Valſinghamus, Mornaeus, negandum ſanè non eſſet, quin peculiarem favorem Fratribus Minoritis conceſſiſſet Nicolaus; at nullum umquam peculiarem favorem iis elargitum eſſe teſtatur Henricus Stero *in Annalibus ad ann.* 1290. apud Struvium *T. I. de SS. Rerum German. pag.* 573., et apud Caniſium *T. IV. Antiq. Lectionum pag.* 208. *ed. Baſnagianae* ita ſcribens: Honorio *ſuccedit Frater Hieronymus de Ordine Minorum Fratrum, de quo non intellexi, quod Fratribus quondam ſui Ordinis aliquas fecerit gratias ſpeciales, et tempore ſuo noluit diſcutere quaeſtiones, quas Fratres Praedicatores, et Minores contra Epiſcopos habuerunt, ut per ipſum neutra partium gravaretur.* Hoc ipſum iisdem verbis tradit Eberardus Altahenſis *in Annalibus* apud eundem Caniſium *T. cit. pag.* 223. Quid cauſſae fuerit, cur annos duos, ac tres menſes Nicolai ſucceſſoris electio dilata ſit, exponunt Hiſtorici plures, inprimiſque Villanius *lib. 7. H. F. cap.* 150. *col.* 341. apud Muratorium *T. XIII. S. R. I.*, et Pagius *in Vita Coeleſtini V. num.* 1. Nunc ad Anonymum,

Poſita igitur tanquam certa Nicolai IV. pietate, poſitis rebus ſumma cum gloria geſtis

nymum, et qui huic praeivit Heydeggerum refellendum accedo. Principio enim dicere poſſe nunquam crimini dandum eſſe Nicolao, licet Petri Joannis Olivi, et Petri Caſſiodori corpora è ſepulchro eruta in fumum, cineremque vertiſſet; hoc digna fuiſſet illorum erratis punitio; nam alter, licet Vvaddingus *ad ann.* 1297. *num.* 37., *et ſeq.* ab omnibus erratis defendere illum conatur, *in Commentario in Apocalypſim* inter alias haereticas, ac temerarias propoſitiones Eccleſiam Romanam Babylonem, Summum Pontificem Anti-chriſtum eſſe affirmare auſus eſt; alter verò dicaciſſimus homo et verba in Romanum Pontificem contumelioſiſſima proferre, et Angliam, ut ſe ab illius obedientia alienaret, ſtimulare non eſt veritus in Epiſtola ad Eccleſiam Anglicanam data, quam recitant Michael Goldaſtus *T. I. Monarchiae S. Imperii Rom. pag.* 11. *ed. Hanov.*, Joannes Vvolfius *T. I. Lectionum memorabilium pag.* 534., et alii. Sed hac miſſa reſponſione, ajo, Anonymum, et Heideggerum in putidum errorem lapſos eſſe. Qui enim fieri potuit ut Nicolai juſſu corpora è ſepulchro extraherentur Petri Joannis Olivi, et Petri Caſſiodori, qui poſt plures annos a laudati Pontificis morte deceſſerunt? Alter enim obiit anno 1297. menſe Martio teſtibus Fleurio *Hiſtoria Eccleſ. lib.* 89. *pag.* 527., Natali Alexandro *op. cit. ſec.* 13. *cap.* 3. *art.* 9., Raynaldo *ad eum ann. n.* 56., Caſimiro Oudino *T. III. de Scrip. et Scriptis Eccleſ. ſec.* 13. *col.* 586. Vvaddingo *ad eum ann. num.* 34., et *in Syllabo SS. O. M. pag.* 284., aliiſque; alter verò mortuus eſt poſt annum 1300., uti ſcribunt Robertus Gerius *in Append.*

quem in Baſilica S. Mariae Majoris ei volunt aſſerere tanquam de Beato, aut Sancto, quamvis nullibi aut Beatificationis Breve, aut Bulla Canonizationis inveniatur; quemadmodum in ceteris ſimiliter Servis Dei factum eſt.

Primo intuitu aſſumptum hujuſmodi videtur nobis valde difficile, tum quia de Nicolao IV. ne verbum quidem factum eſt eo tempore, quo Clementis X. Pontificis Maxi-

ptoris ſynchroni *op. alias cit. cap.* 236. *par.* 3. *col.* 1020. dicentis: *In MCCXCIV. Petrus de Macerata, et Petrus de Foroſempronii Apoſtatae fuerunt Ordinis Minorum, et haeretici. His petentibus heremiticè vivere, ut Regulam B. Franciſci ad litteram ſervare poſſent, Coeleſtinus* (V.) *ſua pura, ſed periculoſa ſimplicitate conceſſit, et ſibi adhaerentibus. Quibus plures Apoſtatae adhaeſerunt, qui ſtatum Communicatis damnabant, et declarationes Regulae, et vocabant ſe Fratres S. Franciſci. Seculares autem vocarunt Bizocios, vel Fraticellos, vel Bocaſotos.* Falſum igitur eſt, impiam *Fraticellorum* ſectam Nicolai IV. culpa ortam eſſe. Non ſum quidem neſcius, quoſdam Scriptores exiſtimare memoratam ſectam initium duxiſſe, Nicolao nondum defuncto, a Petro Joanne Olivi, vel ejus diſcipulis, qui revera nonnullis *Fraticellorum* erroribus implicati erant; veruntamen per ſummam injuriam Laurentius memoratus Pontificem noſtrum incuriae, et indiligentiae accuſat; Is enim laudatis ſycophantis obſtitit, ad eoſque cohibendos Bertrandum Cigoterium O. M. in Galliam Narbonenſem, ubi ſuos errores diſſeminabant, miſit. Vide *hanc Hiſt. pag.* 75

Maximi juſſu (1) diligenter perquiſitum fuit, quinam Pontifices publico cultu gauderent ad eum finem, ut eorum officia cum Lectionibus propriis Eccleſiae Lateranenſi concederetur, quorum deinde extenſio ad duas pariter Eccleſias, nempe S. Petri in Vaticano, et S. Mariae Majoris facta eſt: tum etiam quia de eodem Nicolao IV. mentionem nullam facit P. Arturus, qui Martyrologium Franciſcanum compoſuit, atque in illo eorum nomina adnotavit quotquot (2) ex

(1) Nullius momenti, et efficacitatis eſſe hoc argumentum cenſet Canonicus Strozzius; nam, ajt, tempore Clementis X. neque mentio facta eſt de Benedicto XI., et Gregorio X., qui a Clemente XII., ac Benedicto XIV. in Beatorum album acciti poſtea ſunt; immò neque de Siricio, quem *Sanctum* eſſe aſſeverat idem ipſe Benedictus *in Epiſt. ad Joannem V. Portugal., et Algarb. Regem n.* 50., *et ſeq.*, et in Martyr. Roman. ad 6. calend. Decemb. retulit.

(2) Arturum *in ſuo Martyrologio Franciſcano* plures Beatos Ordinis Minorum praetermiſiſſe certa, explorataque res eſt; quocirca Strozzius aſſerit, Arturi ſilentium Nicolai cauſſae non obeſſe; eo maximè quia de Nicolao mentionem facit P. Fortunatus Hueberus *in Menologio ad diem* 25. *Julii anno* 1688. *publicato:* ubi etiam ſcribit, compertum eſſe, *quod in hora mortis eius major Avenionenſis Conventus Campana per ſeipſam pulſata, ominis cujuſdam, prodigii, vel portenti cauſſa extiterit.* Alii item Hiſtorici huiuſmodi factum narrant. Sed hujus

ex ſuo Ordine in aliqua ſanctitatis opinione deceſſerant: tum demum quia, ut nihil dicamus de inſcriptionibus, quae olim legebantur in Eccleſia S. Mariae Majoris, at modò amplius non exſtant, ſed tamen afferuntur a Ciaconio in huius Pontificis vita, in quibus ſi non ſit mentio de illius ſanctitate, et cultu, hoc ideo eveniſſe dicendum eſt, quia in ſignum grati animi ob ipſius erga illam Baſilicam merita tum factae fuerunt, cum ipſe adhuc in vivis degeret; tota vis fundamenti revocatur ad inſcriptionem illam, quam Sixtus V. anno 1574. poſuit, tribus ſcilicet fermè ſeculis poſt Nicolai IV. mortem, quae accidit anno 1292. Verum in ea inſcriptione, qua praecipitur, ut transferantur Nicolai oſſa ab humili loco, ubi ipſo jubente fuerant collocata, de eiusdem ſanctitate, et cultu (1) ne minimum quidem ſermonem facit Sixtus, qui

ius fides ſit penes auctores ſuos. Pontificis noſtri vita legitur quoque inter alias Sanctorum, Beatorum, et Venerabilium virorum Ordinis Minorum apud P. Benedictum Mazzaram *Leggendario Franceſcano T. X. ad diem* 4. *Octobris pag.* 98. *ed. tertiae.*

(1) Reſpondet Strozzius Sixtum V., ſin minus in hac Inſcriptione, at in altera longiori, quam vide *pag.* 152. Nicolai *Sanctitatem* celebrare. Addo, veteres etiam Scriptores, quorum verba exhibui *pag.* 23., *et ſeq.* affirmare, Pontificem noſtrum magna vitae ſanctimonia ornatum fuiſſe.

qui ait, ſe ad id moveri *in Ordinem, et Patriam pietate*, ab ingenita nempe erga Ordinem ſuum dilectione, cujus alumnus fuerat Nicolaus; et in communi patriae laudem, cum ambo oriundi eſſent ex Piceno.

Jam verò nihil amplius requiritur, ut pia circa publicum Nicolai IV. in S. Mariae Majore cultum opinio infirmetur. Sed ut id magis eluceſcat ad examen revocemus fundamenta, quibus innititur praefati cultus aſſertio. Primum fundamentum conſiſtit in eo, quod cum ceteris SS. Reliquiis, quae in Armario aſſervantur Canonicalis Ædiculae, ante quod binae continuò lampades ardent accenſae, huius quoque Pontificis Reliquiae inventae ſunt. Ibi enim repertum eſt involucrum quoddam ex charta cum inſcriptione *de Papa Nicolò diſcepolo di Santo Franceſco;* et in eodem involucro duo praeterea continebantur minora involucra pariter ex charta, quorum unum diſtinguebatur hoc titulo: *delle veſtimenta di Santo Nicolò Papa, che fu diſcepolo de Santo Franceſco*; alterum verò inſcriptum habebat *le oſſa de Santo Nicolò Papa, che fu diſcepolo de Santo Franceſco.*

Cum tamen ignoretur quis Auctor inſcriptiones praedictas appoſuerit, nullum pro-

propterea deduci poteſt ex iis validum ad hanc tuendam opinionem argumentum, quod videtur aptè confirmari poſſe exemplo. Ponamus enim, quod in Urbe Roma ante fores alicujus Eccleſiae infans aliquis expoſitus reperiatur cum ſchedula collo appenſa, in qua affirmetur illum baptizatum fuiſſe. In eo caſu ſi vel ſcripturae Auctor ignoretur, vel quamvis probe cognitus adhuc non omni fide dignus habeatur, infans ille cenſeri non debet tanquam verè baptizatus, adeoque baptizandus eſt ſub conditione, ut nos ipſi oſtendimus *in noſtris Inſtitutionibus*, et *in Tract. de Synodo lib. 7. cap. 6. num.* 5. Porrò ſi ad comprobandum Baptiſmum non eſt teſtimonium ſufficiens ſchedula ſola cum inſcriptione, cujus Auctor ignoretur, quà fieri poterit, ut Sanctitas, aut publicus cultus comprobetur per ſcripturam tantummodò, cuius ſit Auctor incertus? Neque juvat reponere, quod locus ipſe, ubi inventae ſunt ſchedulae ſimul cum Reliquiis efficit, ne dubitationi locus relinquatur. Si enim hoc ſufficeret ad id, quod intenditur, ſequeretur, quod ſtatim hac Reliquiae collocatae in aliqua Theca publicae venerationi fuiſſent ſemel expoſitae, nullus amplius ſupereſſet locus eas indidem extrahendi, aut tanquam dubias, incertaſque,

aut

aut tanquam Reliquias Servorum Dei, quorum publicus cultus non eſſet ſatis probatus: et tamen rem omninò aliter ſe habere oſtendunt tum exquiſitae indagines, quas tertio quoque die Epiſcopi, dum ſui officii partes implere volunt, circa ſuarum Eccleſiarum Reliquias exercent; tum facinus celeberrimum Alexandri VII., qui ob ſupra memoratas rationes extraxit Reliquias plurimas, quae in praegrandi Lipſanotheca S. Joannis in Laterano fuerant per tot ſecula, eaſque in loco clauſo remotas ſepoſuit, ut a publico cultu ſubtraherentur.

Si Nicolai IV. Reliquiae in aliquo Altari Baſilicae Sanctae Mariae Majoris fuiſſent expoſitae, ſi eaedem peculiariter, et ſeparatim oſtenſae fuiſſent ſtatis diebus, quibus Reliquiae ceterae Populo oſtenduntur; ſi haec caeremonia ſuum habuiſſet principium centum annos ante Urbani VIII. decreta, atque ita per nunquam interruptum exercitium uſque ad haec tempora continuaſſet, ſufficiens profecto argumentum eſſet ad publicum cultum aſſerendum; cui ſententiae Nos ipſi ſubſcripſimus in noſtro Opere *de Canonizat. Sanctor. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. Sed cum nulla ex dictis circumſtantiis caſui noſtro conveniat, atque id unice habeatur, quod Nicolai IV. Reliquiae in com-

muni

muni theca clauſae repertae ſint, et charta involutae, quas fortaſſè eo in loco repoſuit, qui eaſdem collegit, tum, cum facta eſt a veteri Sarcophago Tranſlatio ad novum Sepulchrum ſub Sixti V. Pontificatu (1),

O quin

(1) Translatio Corporis Nicolai ab antiquo ad novum ſepulcrum facta non fuit *ſub Sixti V. Pontificatu*, ſed Eccleſiam univerſam gubernante Gregorio XIII., anno ſcilicet 1574. Conſule *hanc Hiſtor. pag.* 151. Non ab re eſſe video hoc loco referre ex Strozzio laudato *Decretum quoddam Capitulare* Canonicorum Baſilicae Liberianae. Hoc enim nos docet qua ratione, et quando eiuſdem Nicolai Corpus primò repertum ſit. „Die Sabbati 3. Januarii 1573. Cum diebus proximè elapſis in alma Baſilica B. Mariae Majoris opus fuerit de mandato, „ ut quidam poſtea aſſeruerunt, Illuſt., ac Rev. „ Dom. Caroli Card. Borromei eiuſdem Baſilicae „ tunc temporis Archipresbyteri, effodere, et explanare quamdam partem pavimenti, exiſtentem „ in ingreſſu portae ante, et propè Cappellam Sancti Franciſci illorum de Capizucchis, ad effectum „ adaequandi ipſam ſuperiorem partem cum planitie partis inferioris ipſius Baſilicae, et inibi „ humatum repertum fuerit Corpus felicis, et Sanctae recordationis Nicolai IV. Pont. Max., exiſtens in antiqua Urna cum ſui nominis inſcriptione, et titulo. Nec non propè ipſum Sarcophagum „ cadaver recolendae memoriae Illuſtr., et Rev. „ D. Petri Card. de Columna. Hac re cognita „ Illuſtr., ac Rev. D. Felix Card. Montaltus perſonaliter in eadem Baſilica ſe contulit, et intendens ex rationabilibus cauſis animum ſuum

„ mo-

quin uſque hodie aliud quidquam, aut dictum, aut factum, aut excogitatum praeterea ſit, non videtur nobis quomodo percipi queat, publici cultus argumentum hinc poſſe deſumi.

Alterum fundamentum conſiſtit in publico Elogio, quod omnium oculis apparet ſculptum in ejus Monumento recenter extructo, in quo poſt egregias eiuſdem Pontificis

tificis

„ moventibus, ſuis ſumptibus, et expenſis marmo-
„ reum monumentum eidem Pontifici erigere, et
„ honorificè conſtrui facere, maxima cum inſtantia
„ petiit a DD. Canonicis, et requiſivit ſibi ali-
„ quem decentem locum aſſignari pro tam pio, et
„ laudabili effectu adimplendo. Hinc eſt, quod præ-
„ ſente die ſupraſcripti RR. DD. Canonici capi-
„ tulariter congregati, videlicet admodum R. D.
„ Bernardinus Cyrillus Canonicus, et Vicarius,
„ et ceteri alii, abſente tamen D. Marco An-
„ tonio Piccolomineo aegrotante, habitoque deſu-
„ per colloquio unanimiter, et nemine diſcrepante
„ decreverunt eidem Illuſtr. ac Rev. D. Card. aſ-
„ ſignandum fore, et eſſe locum ad petitum ef-
„ fectum ſub Organo dictae Baſilicae, a fronte ju-
„ xta Altare Majus prout de praeſenti aſſignant,
„ accedente tamen beneplacito Illuſtr., et Rev. D.
„ Alexandri Sfortiae eiuſdem Baſilicae Archipre-
„ sbyteri, pro quo habendo deputaverunt Dominos
„ Marcum Antonium Piccolomineum, et Julium
„ Ottinellum, qui et eidem D. Card. Montalto
„ praeſens decretum intimarent, et gratias de tam
„ laudabili animi affectu, ac liberali largitione re-
„ ferrent."

Digitized by Google

tificis virtutes commemoratas leguntur haec verba: *magna Sanctitatis opinione obiit*. Sed neque huiuſmodi verba publicum cultum ullatenus ſignificare, oſtenditur exemplo. Obiit Romae cum magna Sanctitatis fama P. Franciſcus Scuderus Tertii Ordinis Sancti Franciſci. Statim poſt mortem aere inciſa, atque impreſſa exiit in lucem eius imago, ſub qua poſitum erat Elogium, in eoque ſingulis eius virtutibus enarratis adjecta fuerant haec verba: *eximiam ſanctimoniae famam conſecutus obiit*. Magna ſubito mota fuit controverſia, utrum ea verba publicum cultum importarent, adeoque delenda eſſent utpotè repugnantia Urbani VIII. decretis. Auctor Elogii fuerat ejuſdem Ordinis Religioſus quidam F. Bonaventura a S. Elia appellatus, qui eruditam compoſuit diſſertationem ab inſignioribus Romae Theologis approbatam, qua contendit magnum intereſſe diſcrimen inter id, quod defunctus quis vocetur *aſſertivè Sanctus*, et illud aliud, quod praedicetur *ſanctimoniae fama conſpicuus*. Primum quidem ab Urbani decretis eſſe interdictum, utpotè cultum publicum importans, quia perſonam immediate attingit; alterum verò neque vetitum eſſe, ait, neque cultum publicum importare, quia ſcilicet *ad puram opi-*

nionem refertur, *et extrinſecam denominationem*. Haec omnia narrantur in noſtro ſupra citato Opere *de Canonizat. Sanctor. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 4., ubi ſingula recenſentur eorum nomina, qui eam Diſſertationem approbarunt; aliaque ibidem ſimilia exempla adducuntur, atque illud in primis Alexandri Papae VII., qui Elogium ſepulchrale compoſuit pro Maria filia Ducis Sabaudiae, quae in Templo S. Franciſci Civitatis Aſſiſienſis ſepulta eſt, in quo Elogio haec verba inſeruit Auctor Sanctiſſimus: *magnam ſanctimoniae famam conſecuta obiit*.

Tertium fundamentum in eo verſatur, quod Jacobus Card: Columna S. Mariae Majoris Archipresbyter ibidem Capellam in Pontificis Nicolai IV. honorem extruxit, additis Cappellaniis, quarum Capellani Miſſas in ejuſdem Pontificis honorem celebrarent. Sed totum corruet fundamentum, ſi facti ſeries paulisper conſiderabitur. Res igitur ita ſe habuit. Nicolaus Papa IV. Sacellum in Baſilica S. Mariae Majoris conſtrui fecerat S. Joanni dedicatum (1). Poſt illius

(1) Huiuſmodi Sacellum non a Pontifice noſtro, ſed a Jacobo Cardinali Columna aedificatum eſt. Liquet hoc tum *ex Bulla* Bonifacii VIII. data 12. calend. Aprilis Pontificatus anno 4., in qua ſic legi-

illius obitum Jacobus Card. Columna Sacellum alterum ſimiliter ibidem conſtrui fecit, illud non proprio nomine, ſed à Nicolao Papa IV. denominans, ob inſignem ſui erga illum Pontificem benevolentiam, obſervantiam, et venerationem. Teſtamenti vero exequendi Curatores, cum ad Cappellanias erigendas deveniſſent, quas Jacobus Card. inſtituerat, aliis primum, alterum Sacellum aliis aſſignantes, ſingulis Cappellanis ſua Miſſarum onera impoſuerunt in ſuffragium Pontificis Nicolai IV., aliorumque Fidelium, quod utique ſtare cum publico cultu non poteſt.

Quod Pontifex Nicolaus IV. Sacellum in honorem S. Joannis conſtrui fecerit in

legitur: *Jacobus de Columpna quondam Rom. Eccleſiae Cardinalis Caſale Sallonis, nec non et quaſdam Vineas, Hortos, et poſſeſſiones emit pro certis pecuniarum ſummis, illa eidem Baſilicae* (Liberianae) *dare diſponens, ut ex illorum fructibus certi Beneficiati, qui in Cappella S. Joannis, quam in dicta Baſilica conſtrui fecerat, ac etiam in Altari, quod in eadem Baſilica extra dictam Cappellam, de novo erectum fuerat, pro anima fel. recordat. Nicolai PP. IV. praedeceſſoris noſtri, cuius corpus in eadem Baſilica requieſcit, et aliorum fidelium remedio peccatorum, Miſſarum ſolemnia, et alia Divina officia celebrarent*; tum ex Inſtrumento anni 1321., quo Teſtamenti Jacobi Cardinalis *Curatores* ſex *Cappellanias* juxta praefati Cardinalis mentem inſtituerunt.

S. Mariae Majoris Baſilica deſumitur a Bulla quadam Bonifacij VIII., in qua de Nicolao IV. ſic legitur: *In Cappella S. Joannis, quam in dicta Eccleſia conſtrui fecerat*. (1) Quod Jacobus Card. Columna deinde propriis ſumtibus Sacellum alterum aedificaverit in ſui erga Nicolaum IV. amoris, obſervantiae, et venerationis argumentum legitur in publico Inſtrumento, quod eius Teſtamentarii Curatores confecerant, his verbis: *In Cappella Sanctae memoriae quondam ſanctiſſimi Patris, et Domini Nicolai Papae IV. ab eodem Cardinali pariter erecta ob reverentiam, et in memoriam praefati Sanctiſſimi Patris*. Quod denique a Cappellanis applicandum eſſet Sacrificium pro anima defuncti Pontificis Nicolai IV. eruitur ex ſupra memorata Bonifacii VIII. Bulla, cujus verba ſunt, quae ſequuntur: *pro anima felicis recordationis Nicolai Papae IV. Praedeceſſoris noſtri, cuius Corpus in eadem Baſilica requieſcit, et aliorum Fidelium remedio peccatorum, Miſſarum ſolemnia, et alia Divina officia celebrarent*.

Neque valet hoc loco ingenium acuere, atque affirmare, quod ea verba: *ob reveren-*

(1) Verba haec non ad Nicolaum, ſed ad Jacobum Cardinalem ſunt referenda. Vide *adnotat. ſuperiorem*.

verentiam, *et in memoriam praefati Sanctiſſimi Patris*, importent aliquid amplius, quam meram benevolentiam, atque obſervantiam; aut quod Sacellum intelligi debeat dedicatum eſſe in honorem Nicolai IV. cum Sanctus, cui dedicabatur, nullus nominetur expreſſe; aut demum quod in ipſo Miſſarum onere ſupra memorato Cappellanis impoſito appareat diſcrimen manifeſtum inter id, quod Nicolaum IV. reſpicit, atque id, quod reliquas defunctorum animas attingit. Etenim primo loco non ſubſiſtit, quod verba illa: *ob reverentiam*, *et in memoriam praefati Sanctiſſimi Patris*, aliquid amplius importent, quam benevolentiam, obſequium, et venerationem. Paucis ab hinc annis bonae memoriae Cardinalis Petra erexit in S. Petri Baſilica Mauſoleum felicis recordationis Innocentio Papae XII. Si quis autem affirmaret hoc eum feciſſe *ob reverentiam*, *et in memoriam praefati Sanctiſſimi Patris*, quod verum eſt affirmaret, ſed non ideo putandum foret, quaſi aſſereret, publicum Innocentio cultum praeſtari voluiſſe (1). Quod vero ſecundo loco

 dice-

(1) Poſteaquam Canonicus laudatus omnibus nervis contendit, atque elaboravit in probando verba illa *ob reverentiam*, *et in memoriam praefati Sanctiſſimi Pontificis*, non ſolam benevolentiam, ſed Religio-

dicebatur Sacellum intelligi debere conſtructum in honorem Nicolai IV. eo quia nullius Sancti, aut Beati nomen deſignetur, in cuius honorem erigebatur idem Sacellum, non ſubſiſtit; tum quia Paulus de Angelis in libro, in quo agit de S. Mariae Majoris veteri ſitu, locum ubi erat Sacellum erectum a Jacobo Cardinali Columna aſſi-

ligionis cultum ſignificare, aſſerit huiuſmodi exemplum eſſe praeter rem; nam, inquit, et niſi me fallo, jure, atque merito, Tumulum alicui excitare res indifferens eſt, ac hominibus etiam extra Eccleſiam defunctis erigi poteſt; ſed Altarium excitatio ſacra res eſt, nec ea apud nos poni ſolent niſi Sanctis, aut Beatis. Altare hoc fuit in Baſilica Liberiana ſaltem uſque ad annum 1566., ut conſtat ex MS. Libro, cui titulus: *Decreta varia Congregat. ab anno 1539. uſque ad annum* 1700., in quo *pag.* 17. ſic legitur: *Cappella S. Nicolai cum Cappellano;* et *pag.* 19. haec habentur: *D. Vincentius de Gratis ſine Ordine Sacro ad Altare S. Nicolai de Robana*, quod ſcilicet eo tempore exſtabat in Sacello a Cardinali Gulielmo Rothomagenſi aedificato. Verum quidem eſt, Paulum de Angelis *in Hiſtoria S.* M*ariae Majoris* velle, memoratum Altare dicatum fuiſſe *Sancto Nicolao Epiſcopo Myrenſi;* ſed errat longe, cum judice Strozzio, qui omnia monumenta Tabularii Baſilicae Liberianae, ſibi opem ferente Franciſco Aſcevolinio Canonico, eidemque Tabulario praefecto, vidit, ex quibus apparent origines veterum Sacellorum, et *Cappellaniarum;* nulla unquam in Baſilica laudata fuerit aut *Cappellania*, aut Sacellum S. Nicolai Epiſcopi Myrenſis, ſed tantum Nicolai Papae IV.

aſſignat Altari S. Benedicti (1), ex quo ſit veriſimile huic Sancto Abbati fuiſſe dedicatum ipſum Sacellum; tum quia ad refellendam opinionem, quod in honorem Nicolai IV. dedicatum eſſet Sacellum, ſufficit affirmare, quod nulla de hac re facta ſit mentio in ejusdem erectione, nullaque extet memoria, quod olim aut in Altari, aut in Sacello haberetur effigies praedicti Pontificis. Neque demum ſubſiſtit aſſertum diſcrimen inter animam Nicolai IV., et reliquas defunctorum animas, ubi de Miſſarum applicatione ſermo eſt. Negari enim nequit, quod in Bonifacii VIII. Bulla verba haec contineantur: *pro anima felicis recordationis Nicolai Papae IV.*, quae ſuffragium

(1) Nihili faciendam eſſe *de Angelis* auctoritatem hac in re, tum quia quod ajt, non probat, tum quia pugnantia ſcribit, ducit Strozzius; qui praeterea Sacellum hoc dicatum non fuiſſe S. Benedicto ex eo colligit, quod Bonifacius VIII., cujus verba paullo ante retulimus, de eodem loquens id non dicit, cum tamen alterum nominans, aſſerat fuiſſe S. Joanni dicatum. Ex Bonifacii ſilentio infert etiam Canonicus noſter, citatum Sacellum fuiſſe Nicolai Papae IV., ſed hoc data opera reticuiſſe Bonifacium, ne videretur publicum eiuſdem Nicolai cultum aperte declarare, cum nondum *proceſſus*, ſine quibus eo quoque tempore Pontifices neminem inter Sanctos, aut Beatos numerare ſolebant, praeceſſiſſent.

gium denotant, quod certè cum publico cultu ſtare non poteſt (1).

Quod

(1) Antiquitus mos erat etiam pro Sanctis, et Beatis Deum orare. Occiſo a Vaſconibus anno 1004. Abbone Monaſterii Floriacenſis Abbate, Monachi, etſi illum ceu Martyrem haberent, tamen hortantur pro eius anima preces ad Deum fundere *in Epiſtola Encyclica* apud Mabillonium *T. IV. Annal. Benedict. ad eum an. lib. 52. pag. 159. ed. Lucen.*, atque *in Actis SS. O. S. B. ſec. 6. par. 1. pag. 32. ed. Ven.*, apud Balutium, et alios. Pro Confeſſoribus Sanctiſſimis, et communi exiſtimatione ſummae ſanctimoniae defunctis parentalia non ſecus ac aliis fidelibus celebrata fuiſſe, pro iis Divinam miſericordiam fideles viventes imploraſſe, certa res eſt, ut videri poteſt apud Martenium *de Antiq. Eccleſ. Ritibus lib. 5. cap. 10. n. 95.* Teſte Innocentio III. *cap. cum Marthae extra de celebrat. Miſſarum* in veteribus *Miſſalibus* in die feſto S. Leonis ſequens oratio recitabatur: *Annue quaeſumus Domine, ut animae B. Leonis haec proſit oblatio.* Sed longus nimis eſſem, ſi vellem ſingula monumenta his ſimilia perſequi. Inter varias reſponſiones, quibus Theologi jure optimo defendentes Sanctos, atque Beatos *Suffragiis* non egere, plura ex laudatis argumentis explodere ſolent, una eſt, Eccleſiam, alioſque fideles aliquando Deum oraſſe pro iis, quos ſciebant coeleſtem patriam habitare, ut *illis augmentum gloriae alicuius accidentalis* accederet. Adeundus vir doctiſſimus Bellarminus *de Purgatorio lib. 2. cap. 18.* Utrum ob hanc eandem rationem a Jacobo Cardinali *Suffragia* pro anima Nicolai inſtituta fuerint, ac ita exiſtimaverit Bonifacius, certò affirmare nolo, ſed aliis judicandum relinquo;

quam-

Quod ſi aliter ratiocinari velimus, aditus aperiretur duobus abſurdis, et quidem graviſſimis. Primum in eo verſatur, quod Jacobo Cardinali Columnae graviſſimum crimen imputaretur (1), cuiuſmodi illud eſſet, ſi in Sanctae Mariae Majoris Baſilica

quamvis, ſi ad veterem diſciplinam reſpectus habeatur, hoc non repugnet juxta doctrinam ſupra expoſitam; et idem ipſe Bonifacius de *Suffragiis* ſermonem faciens pro Nicolao, et aliis fidelibus recitanda, juſtam exhibeat cauſſam ſic arbitrandi; enim verò diverſo modo de iis ſcribit: loquens de Nicolao, ait pro eius *anima*, de aliis fidelibus verba faciens pro *remedio peccatorum* eorum *Suffragia* habenda eſſe aſſeverat. Confer illius verba paullo ante recitata.

(1) Jacobum a crimine tuetur Canonicus laudatus armis acceptis ab eodem Benedicto XIV., qui *de Beatif., et Canonizat. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 2. narrat, Venerab: Cardinalem Baronium anno 1599. cum *Sacra Rituum Congregatio* nondum efformare *proceſſus* pro S. Ignatio Loyola coepiſſet, huic publicum cultum exhibuiſſe et appendendo eius ſepulcro propriam imaginem, aliaſque tabulas votivas ab aliis hominibus latas; et flexis genibus eum adorando. Socium habuit hac in re Baronius Venerab. Cardinalem Bellarminum virum ſanctitate, doctrina inſignem, ac ex illorum numero, qui memoratam *Congregationem* eo tempore componebant, non ſecus atque laudatus Baronius. Factum huic fere ſimile refert Joannes *de Rebac* apud Bollandianos *T. V. Maji ad diem* 23. *pag.* 243., quod etſi privatum, cum tamen acciderit S. Philippo Nerio, non parvi faciendum eſſe duco.

ſilica Sacellum aedificaſſet, Miſſamque conceſſiſſet in honorem Nicolai IV. neque Beatificati, neque Canonizati: tanti momenti res, ut olim neque ab ipſis Romanis Pontificibus fieret in honorem alicuius Beati, niſi adjecta clauſula: *dummodo per hoc Canonizatus non cenſeatur*, uti oſtendimus in noſtro Opere *de Canonizatione*: et quidem pius Cardinalis hoc patraſſet in Urbe Roma; haud multo poſt Alexandri III. Coſtitutiones, quibus Beatificandi, et Canonizandi jus Romano Pontifici privativè reſervabatur (3), ut pariter in eodem Opere oſtendimus. Alterum vero abſurdum ad hoc reducitur, ut etiamſi per impoſſibile demonſtrari poſſet per actus aequivocos publici cultus, Nicolaum IV. veneratum fuiſſe veluti Sanctum centenario annorum ſpatio ante Urbani VIII. decreta continuato uſque ad praeſens tempus, quod

(1) Solemnium *Canonizationum* jus, quibus praecipitur, ut quis ab univerſa Eccleſia ceu *Sanctus* habeatur, Alexandrum III. in ſe, ſuoſque ſucceſſores tantum tranſtuliſſe, oſtendunt Papebrochius *in Propyl. par.* 1. *Diſſer.* 20. *pag.* 173., Mabillonius, Pagius, et alii. Negari tamen non poteſt, quin plures etiam ſint, qui cum magna ſanctitatis opinione deceſſerint, ac Deus eorum interceſſione multos favores ipſos invocantibus elargiatur, *Beati* a populis vocentur, illorum Imagines, et Reliquiae publicè colantur, ac Altaria in eorum honorem excitata ſint, Summis Pontificibus, Civitatumque Epiſcopis tacentibus.

quod etiam hodie admittitur, tamquam validus titulus publici cultus, dummodo non ſit disjunctum a comprobata Sanctitatis, et miraculorum opinione (1): factum nihilominus quod Jacobo Cardinali Columnae tribuitur, ſatis eſſet ad cultum jam introductum removendum; quoniam in hac materia aequè proceditur, ac ſit in praeſcriptionibus centenariis, et immemorabilibus, quae, ſi titulus infectus producatur, penitus extinguuntur.

Quartum denique fundamentum conſiſtit

(1) Certè quidem tum probata Sanctitatis opinio, tum miracula ad hoc requiruntur, neque haec ſine illa ſunt ſatis, teſte imprimis doctiſſimo Mabillonio *in Epiſt. de Cultu Sanctor. ignotorum* §. 18., quae eſt *in Veter. Analectis pag.* 562. *ed. Paris.* ita ſcribente: *neque verò ſola miracula etiam vera ſufficiunt ad probandam alicuius Sanctitatem, niſi aliunde ſanctitas comperta ſit aut ex inſigni vitae integritate, aut ex certo, et approbato Martyrio. Fieri enim poſſunt vera miracula ad falſas Reliquias ob fidem, ac pietatem eorum, qui eas veras eſſe credunt.* Sed quod attinet ad primam, plura hactenus veterum Scriptorum teſtimonia produximus, ex quibus apparet Nicolaum magna ſanctitatis opinione claruiſſe. Quod ſpectat ad ſecunda, Canonicus Strozzius fatetur, ſe multas gratias a Deo Nicolai interceſſione conſequutum eſſe: *poſſo atteſtare*, inquit ille, *con giuramento, che quante volte ricorro al ſuo* (ſcilicet Nicolai) *patrocinio in certi miei biſogni ſpirituali, il che non di rado accade, ſempre lo ſperimento efficaciſſimo, e pronto altrettanto.*

ſiſtit in denominationibus *Beatiſſimi*, et *Sanctiſſimi*, quibus etiam poſt obitum multis in ſcripturis condecoratur Nicolaus IV. Quis enim ignorat, in Summis Pontificibus plus ſignificare titulum *Beati*, quam *Beatiſſimi*, atque in pluribus circumſtantiis plus eſſe ſi quis appelletur *Sanctus*, quam ſi appelletur *Sanctiſſimus*? Titulus enim *Beati* ad excellentiam virtutum refertur, titulus autem *Beatiſſimi* ad dignitatem, et in aliquibus circumſtantiis titulus *Sancti* ad praedictas virtutes poteſt referri, non item appellatio *Sanctiſſimi*, quae ſemper reſpicit dignitatem, atque adeo licet in quodam Actu Capitulari (1) multa, ut aſſerunt, maturitate confecto, haec de Nicolao IV. verba occurrant, *felicis*, *et Sanctae recordationis*, ita ut adjunctum *felicis* ad dignitatem, *Sanctae* vero adjunctum ad Sanctitatem, et publicum cultum referri videatur, juvat tamen hoc loco animadvertere, Baſilicarum Romae exiſtentium Capitula ampliſſimum habere titulorum Vocabularium quotieſcunque de Pontificibus verba faciunt, qui bene de illis meriti ſunt. (2) Cum in minoribus Baſi-

(1) Quem paullo ante exhibuimus.

(2) Ob ea, quae hic narrat Benedictus, ſi nulla alia ſupereſſent Nicolai Sanctitatis monumenta praeterquam laudati *Actus Capitularis* verba *felicis*, *et San*

Baſilicae Vaticanae Canonici eſſemus, ibique per annos 14. Capituli Tabulario Praefecti munere fungeremur, monumentum vidimus, quod in dicto Tabulario aſſervatur, in quo ſic legitur: *Decimo Kalendas Septembris Anno Domini* 1280. *obiit Sanctiſſimae memoriae Divus Nicolaus Papa III.* Quae verba ſubſequitur prolixa gratiarum deſcriptio, et beneficiorum, quibus eamdem Baſilicam inſigniter cumulavit Nicolaus praedictus. Similiter in particulari Benefactorum eiuſdem Baſilicae Martyrologio extant haec verba: *Decimo Septimo Kalendas Junii, eodem die facta eſt tranſlatio corporis Sanctae memoriae D. Nicolai Papae III. in monumento novo.* Neque tamen hinc quiſquam vel conjecturis in ſuſpicionem venit, Nicolaum III. publico cultu in Baſilica Vaticana gaudere; quinimmo ad hunc uſque diem menſe Novembri Anniverſarium fit pro

et Sanctae recordationis, quicunque fortaſſis pateretur, nihil colligi ex iis poſſe pro Nicolai cauſſa; verum cum aliunde conſtet, eundem Nicolaum ſanctitate celebrem fuiſſe; erunt certè, qui ducent, memorata verba *felicis &c.* non niſi ad Pontificis noſtri ſanctimoniam indicandam referri debere: judicemque appellabunt hac in re Benedictum ipſum, qui *in Epiſtola ad Regem Portugall. alias citata n.* 58. probat, *Siricium* Sanctum eſſe, quod a S. Innocentio I., et Concilio I. Toletano vir *ſanctae memoriae*, a S. Leone *beatae recordationis* vocetur; celebratque Florentinium, et Noriſium, quia in eadem ſunt opinione,

pro eius animae Suffragio. Nobis ſatis erit attuliſſe exemplum Nicolai III., adducta ſiquidem monumenta inveniuntur etiam typis vulgata ab Oldoino *in Additionibus ad Ciaconium* in vita Nicolai III., cetera vero eiuſdem generis monumenta praetermittimus, quae proferri poſſent, ſi in Archivio Capituli veteres chartae evolverentur.

Concludimus igitur, nullum haberi publicum cultum Nicolai IV. in S. Maria Majore; adeoque noſtra auctoritate interpoſita decernimus, praedictas Nicolai IV. Reliquias claudi debere, et Sigillo muniri in aliqua Capſula, quae ſervetur quidem in Reliquiarum armario, ſed ita ſervetur, ut Reliquiae praedictae neque Populo oſtendantur, neque ullo unquam tempore publicae venerationi exponantur. Capſulae autem inſcribatur, extare in Archivio documenta ad eam ſpectantia; in eodemque Archivio collocetur diligens, ac pia Canonici Strozzi Diſſertatio ſimul cum animadverſionibus hiſce noſtris, quas Nos ipſi dictavimus, et manu propria ſubſcriptas Sigillo noſtro munivimus hac die 24. Octobris Anni 1750.

Locus ✠ Sigilli.

Benedictus Papa XIV.

FINIS.

99 949874

Digitized by Google

[illegible] Google

4